ac fines, qui civilem circumscriptionem status et regionis de Piauhy actu efformant atque constituunt, eosque simili Apostolica auctoritate in perpetuum efformamus atque constituimus. Omnia vero et singula documenta respicentia paroecias et loca a dioecesi sancti Ludovici de Maragnano avulsa et dirempta et novo episcopatui de Piauhy attributa atque assignata, quae actu reperiuntur in cancellaria praefati episcopatus sancti Ludovici ab hac extrahi praecipimus et cancellariae noviter, ut praefertur, erecti episcopatus de Piauhy opportuna forma trahi, ut in ea perpetuo asserventur. Quoad dotem autem mensae episcopalis huius novae dioecesis, cum quaedam in eius territorio actu existant et constituta sint bona stabilia quae ad Episcopi dignitatem decenter tuendam in praesens sufficere posse videantur, ea huic mensae episcopali pro sua dote in perpetuo attribuimus et assignamus, illud fore in Domino confidentes, ut ubi novus Episcopus, Deo adiuvante, suae sedis possessionem ceperit, ex piis fidelium largitionibus, quorum spirituali utilitati nova haec sedes constituta est, et ex pia liberalitate eorum qui huic provinciae praesunt, uberiora subsidia, ad Dei gloriam et religionis rationes promovendas, episcopali mensae huius novae dioecesis libenter suppeditentur. Pro decenti autem novi Episcopi eiusque in dicto episcopatu successorum habitatione, aedificium, quod in civitate episcopali ecclesiae ipsi in cathedralem erectae adnexum et coniunctum existit, in perpetuum addicimus atque statuimus. Quoniam autem divini cultus decus maxime Nobis cordi esse debeat; novi

futuri Episcopi sollicitudini iniungimus, ut cathedrale Capitulum iuxta canonicas Ecclesiae regulas, in sua dioecesi, cum primum fieri possit, erigendum curet, constitutis theologali et poenitentiaria praebendis, ac iisdem dignitatibus servatis aliarum cathedralium ecclesiarum, quae in Brasiliana Republica existunt; collatio vero dignitatis post pontificalem maioris Sedi Apostolicae semper et perpetuo reservata sit. Interim vero donec dictum Capitulum canonice constitutum fuerit, Episcopus consilium sibi ex probatis et prudentibus viris assumet, quorum prudentiae adiumento in gravioribus expediendis suae dioecesis negotiis utetur. Dicto autem Capitulo, ubi primum ipsum fuerit canonice constitutum, ut statuta, ordinationes et decreta iuxta sacrorum Canonum et praecipue Concilii Tridentini praescriptiones conficere sibi valeat, – quae tamen Ordinarii Antistitis cognitioni et approbationi, ut legis vim habeant et efficaciam, erunt subiicienda, – facultatem facimus et impertimus; eidemque insuper capitulo, ut etiam omnibus privilegiis, iuribus et praerogativis, quibus alia pariter aliarum cathedralium ecclesiarum in memorata Brasiliana regione Capitula utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent (iis tamen exceptis ex peculiari indulto concessis vel titulo oneroso acquisitis), similiter uti, frui, potiri et gaudere possit et valeat, perpetuo concedimus et iudulgemus. Praeterea cum pro excolenda vinea Domini necessarium sit, ut sacerdotum numerus augeatur, ad quod Seminaria summopere conducere experientia patet, cumque cathedrali ecclesiae huius novae dioecesis amplum aedificium con-

tinens sit et adiunctum ad usum Seminarii aptum et opportunum, volumus quod novus Episcopus, cum fieri poterit, impigram impendat operam ad Seminarium in ea aede erigendum, iuxta memorati Concilii Tridentini decreta, ad hoc, ut iuvenes clerici ad pietatem et sacram doctrinam accurate et diligenter iuxta normas ab Apostolica Sede traditas instituantur, et administri utiles ac navi Ecclesiae parentur. Insuper Nobis et Apostolicae Sedi expresse reservamus facultatem praefatae novae dioecesis novam dismembrationem seu circumscriptionem libere faciendi, quandocumque id expedire in Domino visum fuerit, quin ullum in id Antistitis et Capituli cathedralis assensum exquiri, seu territorialem ullam compensationem attribui et constitui necesse sit. Volumus autem ut ea omnia quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, et quorum expressa mentio in praesenti Nostro motu proprio facta non est, firma et rata iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae disciplinam remaneant; quod si qua difficultas aut controversia quoad praemissa in noviter erecta de Piauhy dioecesi oriatur, ea ad Apostolicam Sedem erit deferenda, quae rebus accurate perpensis prout de iure decernet. Canonicam autem taxam memoratae ecclesiae de Piauhy in cathedralem erectae, habita ratione temporum, in florenos auri de Camera triginta tres cum tertia floreni similis parte constituimus, atque ita in libris Camerae Apostolicae de more inscribi mandamus. Praesentes autem litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel defectu, aut

quavis ex causa, quantumvis iuridica, legitima, pia et privilegiata etiam ex eo quod causae propter quas praemissa emanarunt, adductae, verificatae seu iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio vel intentionis Nostrae aut quoquam alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia, servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, colore vel praetextu, aliave ratione, aut causa etiam tali, quae ad effectum validitatis earumdem praesentium necessario forent exprimenda, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illum et illas quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, vel etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato, quempiam uti, seu se iuvare posse in iudicio et extra illud, atque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque litteras et Constitutiones Apostolicas aut Nostrae Cancellariae Apostolicae regulas etiam consistorialiter, ex quibusvis causis et ex quibusvis verborum expressionibus, tenoribus et formis ac cum quibusvis decretis (etiamsi in eis de iisdem partibus eorumque toto tenore ac data specialis mentio

fiat) quandocumque editas, vel edendas, minime comprehendi, seu comprehensas, ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ita ab omnibus censeri, ac firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice Legatos dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate et facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula, de iure quaesito non tollendo, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure praemissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis ac litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, con-

firmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, pro hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Quocirca ut haec omnia a Nobis superius constituta suum plenum sortiantur effectum, Venerabili etiam Fratri Nostro Iosepho Macchi Archiepiscopo titulari Thessalonicensi, Nuntio Apostolico in Brasiliana Republica, per ipsas praesentes committimus et mandamus ut ipse ad praemissorum omnium et singulorum executionem procedat, omnes et singulas ad id quomodolibet necessarias et opportunas ei impertiendo facultates, facta eidem insuper potestate quamcumque aliam personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegandi, ita tamen ut ipse Ioseph Archiepiscopus, vel eius subdelegatus, possit definitive pronunciare super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura. Volumus autem quod dictus Ioseph Archiepiscopus infra

sex menses authentica exempla actorum omnium quae ad commissam executionem explendam ipse erit emissurus, ad hanc Apostolicam Sedem transmittere teneatur. Volumus etiam quod praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, disiunctionis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, efformationis, erectionis, evectionis, institutionis, declarationis, subiectionis, constitutionis, assignationis, iniunctionis, facultatis, impertitionis, concessionis, indulti, praecepti, reservationis, constitutionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo primo [1], decimo kalendas Martii, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

[1] A Nativitate MDCCCCII.

DECRETVM

QVO SEDES EPISCOPALIS MEDELLENSIS
IN REPVBLICA COLVMBIANA
AD DIGNITATEM ET HONOREM ECCLESIAE METROPOLITANAE
EVEHITVR

—

Apostolici ministerii munus, quod pro universo catholico orbe supremo Ecclesiae Pastori commissum est, paternam illius excitat sollicitudinem, ut salubriori fidelium regimini et gubernio accurate prospiciat, omnibusque opportunis perlibenter utatur occasionibus, quibus rei sacrae expeditius ac utilius procurandae consuli possit. Huius quidem sollicitudinis testimonia indubia Romani Pontifices erga fideles Americae Meridionalis frequenter dedere, ubi dioecesium amplitudo, et continua civium incrementa eorum providentiam impensius requirebant, sive novas dioeceses erigendo, sive novas ecclesiasticas provincias constituendo; ut aucto Praesulum numero, facilius ad eos pateret fidelium aditus, et promptiora rerum necessitatibus auxilia suppeterent. Porro ita anno MDCCCC, gravibus et iustis concurrentibus causis in Columbiana Republica effectum est, duabus novis episcopalibus sedibus de Manizales et Ibaguensi constitutis, et duabus erectis Eccle-

siasticis provinciis, Carthaginensi in Indiis nempe et Popayanensi, uti necessitas et utilitas earum regionum impense postulabant.

Cum vero nuperrime qui Columbianae Reipublicae gubernandae praesunt sua ad Apostolicam Sedem vota expresse detulissent eum in finem, ut in eadem Republica nova constitueretur ecclesiastica provincia, et episcopalis Sedes Medellensis ad dignitatem et honorem Ecclesiae Metropolitanae eveheretur, cum assignatione suffraganearum Ecclesiarum quae metropolitico iuri Metropolitanae Medellensis subderentur; Sanctitas Sua, exquisita in hac re sententia sacrae Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositae, omnibus mature perpensis, et comperto propositam novae ecclesiasticae provinciae Medellensis erectionem in ecclesiasticae procurationis, et animarum salutis bonum prorsus esse cessuram, votis Columbiani gubernii benigne annuere dignata est, ac de Apostolicae potestatis plenitudine episcopalem Medellensem Ecclesiam ad gradum et dignitatem Sedis Archiepiscopalis evehendam decrevit, eamque erectionem exequendam esse statuit, in eum qui sequitur modum.

I.

Primum itaque Sanctitas Sua episcopalem et cathedralem Ecclesiam Medellensem in Columbiana Republica a iure metropolitico Archiepiscopalis Ecclesiae Bogotensis Apostolica auctoritate exsolvit et eximit, et praevia in ea,

eiusque cathedrali Capitulo, nec non civitate et dioecesi status, tituli ac Sedis episcopalis dignitatis suppressione et extinctione, ex certa scientia ac matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ad gradum et dignitatem Ecclesiae Archiepiscopalis et Metropolitanae sub invocatione Deiparae Virginis a Purificatione, ut antea extituram, evehit et extollit, atque in ea Archiepiscopalem et Metropolitanam Sedem Medellensem nuncupandam Apostolica auctoritate erigit et instituit.

II.

Huic autem, ut supra, erectae Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Medellensi Sanctitas Sua omnia et singula iura, privilegia et praerogativas a Sedibus Archiepiscopalibus et Metropolitanis in Columbiana regione haberi solitis et consuetis, plenarie attribuit et assignat; deinde R. P. D. Ioachimo Pardo Vergara, qui actu episcopalem Medellensem obtinet Sedem, Archiepiscopi titulum, ita ut posthac Archiepiscopus Medellensis sit nuncupandus, una cum delatione Pallii et Crucis, nec non una cum aliis insigniis, honoribus, iuribus et privilegiis, gratiis quoque et indultis, quibus ceteri Archiepiscopi de iure, usu et consuetudine in Columbiana regione legitime fruuntur et gaudent, eodem pariter modo et absque ullo discrimine, tam ipsi quam etiam futuris eius in Medellensi Archiepiscopatu legitimis successoribus, auctoritate Apostolica impertit, concedit et confert.

III.

Praeterea eidem Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Medellensi, ut supra, erectae, Sanctitas Sua episcopalem Antioquiensem Ecclesiam, praevia eius a iurisdictione Metropolitica Bogotensi dismembratione et seiunctione, nec non Episcopalem Ecclesiam de Manizales, praevia item eius a iurisdictione Metropolitica Popayanensi separatione et disiunctione, in provinciales et suffraganeas attribuit et accenset, ac earum Episcopos pro tempore existentes in Archiepiscopi Medellensis suffraganeos, qui iuri eius Archiepiscopali et Metropolitico subsint, assignat et adscribit, atque ut praedictarum Ecclesiarum clerus et populus suis respective Episcopis quoad Episcopalem, praedicto Archiepiscopo quoad Archiepiscopalem et Metropoliticam iurisdictionem et superioritatem subesse debeant, iuxta canonicas sanctiones, mandat atque praescribit.

IV.

Insuper huic Archiepiscopali et Metropolitanae Sedi Medellensi, ut supra, erectae, pro sua dioecesi Sanctitas Sua idem territorium eamdemque regionem statuit et attribuit, quam huc usque Sedes Episcopalis Medellensis sibi peculiarem et propriam obtinuit, servatis nempe iisdem limitibus et finibus, qui Episcopalis dioecesis Medellensis, ut in praemissis suppressae, territorium et ambitum huc usque efformarunt atque constituerunt.

V.

Decrevit porro Sanctitas Sua Medellensem Ecclesiam in Columbiana Republica ad dignitatem et gradum Archiepiscopalem et Metropoliticum erectam, in aureis florenis de Camera sexaginta sex cum tertia floreni parte taxari, et in libris Camerae Apostolicae hanc taxam de more describi.

VI.

Ad huiusmodi postremo erectionem in Archiepiscopalem et Metropolitanam Sedem, et ad praemissorum omnium effectum Sanctitas Sua, quorumcumque in hac erectione et dismembrationibus interesse quomodolibet habentium consensum, quatenus opus sit, de Apostolicae potestatis plenitudine supplevit, ac Sibi et Apostolicae Sedi facultatem reservavit, novas circumscriptiones aut dismembrationes in hac ecclesiastica provincia libere peragendi, quandocumque id expedire in Domino visum fuerit, quin ullum in id Antistitum et Capitulorum respective assensum exquiri, aut territorialem ullam compensationem attribui necesse sit.

VII.

Super his demum omnibus, quae in praemissis articulis contenta et comprehensa sunt, expresse mandavit

Sanctitas Sua hoc consistoriale expediri decretum perinde valiturum ac si litterae Apostolicae sub plumbo expeditae fuissent, et ad praemissorum effectum, in executorem deputavit R. P. D. Antonium Vico Archiepiscopum titularem Philippensem, Delegatum Apostolicum et Legatum Extraordinarium apud Rempublicam Columbianam, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam ad effectum, de quo agitur, nec non cum facultate tum eidem, tum eius subdelegando definitive pronunciandi super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura, iniuncta obligatione acta omnia in hanc executionem confecta ad sacram Congregationem Consistorialem in authentica forma intra sex menses transmittendi; iussitque praesens decretum edi et inter acta sacrae Congregationis Consistorialis referri.

Datum Romae, hac die XXIV Februarii MDCCCCII.

† Carolvs Patriarcha Constantinopolitanvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

EPISTOLA

DILECTO FILIO

LVDOVICO PASTOR

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod eruditorum hominum studio et conquisitioni Tabularium Nostrum patere concessimus, gratulamur equidem in dies magis. Id enim, praeterquam quod calumniari Ecclesiam non sinit quod aspicere lucem detrectet, opportunitatem quoque praebuit ut praeclara conscriberentur volumina veritati atque historiae utilia sane et accommodata. In his autem opus illud censemus merito, quod tu modo quartis curis edis, cuiusque primum Nobis volumen officiose obtulisti. Perge, dilecte fili, ingenii divitias, quibus affatim polles, in Romanorum Pontificum factis pro veritate enarrandis et vindicandis conferre. Quod ut subsidio divinorum munerum tibi commodius eveniat, Apo-

stolicam benedictionem, caritatis Nostrae grataeque voluntatis testem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XI Martii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA APOSTOLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ORBIS CATHOLICI

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Annum ingressi sumus quintum et vicesimum Apostolici muneris: spatiumque respicientes in maximis curis assiduisque confectum, admiratio Nos quidem divinae bonitatis commovet; unde cum beneficia innumerabilia accepimus, tum hanc ipsam, quae Decessorum perpaucis contigit, Pontificatus diuturnitatem. Itaque summo rerum Parenti, eidemque auctori et arbitro vitae gestit animus grates agere quam maximas potest. Profecto aeterni consilii rationem perspicere totam super hac praeter exspectationem tanta longinquitate senectae, humanum non est; neque eam Ipsi vestigare nitimur. Illud intelligimus, quando divinae benignitati placitum est huius lucis Nobis usuram prorogare, officium a Nobis esse sanctissimum, in utilitates et incre-

menta Ecclesiae quantum superest virium impendere, eiusque gratiâ nec laboris quidquam nec sollicitudinis defugere. — Iam a gratae voluntatis significatione, debita benignissimo Numini, cui sit gloria lausque sempiterna, libet affari vos, Venerabiles Fratres; qui ut, suam quisque, Dominici gregis custodiam geritis a Spiritu Sancto mandatam, ita pastoralis officii Nobiscum certamina, palmas, laeta, tristia, participare consuevistis. Haerebunt Nobis semper in memoria pietatis observantiaeque officia et multa et praeclara, quibus cum Pontificatus Nostri cursum continentem ornastis, tum huius felicitatem eventi fecistis iucundiorem. Quae quidem officia, ut sumus vobiscum paterna muneris necessitate coniuncti, grate admodum complectimur: etsi non tam caussâ Nostra, quam quod argumento sunt, adhaerescere vos penitus huic Sedi Apostolicae, quacum tamquam centro suo ceterae orbis catholici contineri sedes debent. Quod si unquam alias oportuit sacrorum Ecclesiae Antistites caritate mutua et cogitandi agendique similitudine inter se cohaerere, perinde quasi ex omnibus exsisteret cor unum et anima una, id enimvero hodie, quae sunt tempora, necesse est. Numquemnam latet conspirans ille ad labefaciendum opus Iesu Christi consensus infensissimorum hostium, christiana vel dogmata vel instituta, pertinacia incredibili, convellere molientium? Haec vos plus satis experiendo nostis: qui etiam saepe Nobiscum deplorare soletis, disseminari passim licenterque opinionum et doctrinarum pestes, malisque errorum venenis imbui multitudinem. Proh circumventam insidiis incau-

torum fidem! Ecclesiae interea, quod magis dolendum, iniectis omne genus vinclis, sua minuitur et quoad potest eripitur auxiliandi copia. Et tamen non dubitant, cumulantes flagitio damnum, arguere Ecclesiam ipsam debilitatae virtutis, quod non, ut antea, populares cupiditates, in perniciem communium rerum inflammatas, queat restinguere.

Equidem iucundiora velimus, accommodate ad factum laetabile, scribendo persequi. Verum neque id patiuntur insidentia Ecclesiae incommoda quae levari mature postulant, neque haec tam misera societatis humanae tempora; cui quidem ille a christiana disciplina institutoque discessus fortunarum morumque detrimenta adhuc magna peperit, maiora struit. Siquidem sanctum naturâ est, omniumque saeculorum memoriâ ratum, non posse religionis reverentiam deturbari publice, quin simul convictus humani prosperitas corruat. — In eiusmodi rerum asperitatibus, ad excitandos confirmandosque opportune animos opus esse arbitramur, huius quod cum Ecclesia geritur bellum initia, caussas, multiplicemque exsequi naturam, quae perniciosa consequantur monere, medendi demonstrare vias. Itaque, licet referens quae saepe ediximus in hoc genere, pertineat usquequaque volumus, paternae caritatis plena, vox Nostra; neque ad filios modo catholicae unitatis feliciter compotes, sed ad eos etiam qui Nobiscum de fide dissident, vel qui ab ipsa plane sunt alieni: quippe universi omnes uti eodem sunt prognati Patre, ita ad idem summum invitantur bonum. Sitque ea vox testamenti instar, quo gen-

tibus suprema salutis communis studia Nostra votaque, impendente iam exitu, commendamus.

Veritatis iustitiaeque vindex, Ecclesia Christi adversa multa et aspera nunquam non pertulit. Ex quo enim instituit, quod acceperat ab Auctore suo munus, constabilire et propagare in hominibus regnum Dei, eosque ab amore fluxarum rerum ad immortalium traducere, necessario in offensionem humanae incurrit corruptae depravataeque naturae. Studia nimirum infesta sibi et inimica sensit cupiditatum, quibus responsandum viriliter esse ipsa edicebat. — Nec vero id acciderit homini christiano novum, quando Christus alumnis disciplinae suae denuntiavit, omnia hostilia, dum mundus foret, usque passuros. Pervulgata sunt, quae ipsos dimissurus in orbem terrarum Evangelii praecones, monuit: *persequentur vos; eritis odio omnibus propter nomen meum; trademini ad reges et praesides; tradent vos in tribulationem et occident vos.* Animosque de suo caperent exemplo voluit: *si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit* [1]. Adeo digna promeritis heic redditur merces!

Iamvero huius tantae invidiae nemo aequus rerum aestimator caussam satis idoneam repererit. Urgente caritate immensa, demisit se abiecitque Christus ad humilitatem conditionis humanae; praecepta dedit sanctissima, plena solatii, apprime facta ad pacandos inter se copu-

[1] Io. xv, 18.

landosque germanitate homines; opes gloriamque contempsit; iura nullius appetivit; aegris, calamitosis, aerumnosis benignissimus adfuit; denique aetatem omnem optime de hominibus merendo contrivit. Quodsi tamen factus is est, quod Simeon praecinerat fore, *signum cui contradicetur* [1], prodigium certe nequitiae hic agnoscimus, atque eo immanius, quo iniuriosius.

Porro Ecclesiam catholicam, Christi heredem muneris, custodem doctrinae mirumne sit eâdem usam esse fortuna? Semper eadem constat saeculo perversitas, urgentibus pios impiis, ab humani generis hoste profectis, quem ipsum inimicum Dei ab initio rerum, *principem huius mundi*, sacrae appellant litterae. Hi scilicet, quoniam imperium Dei contumaciter abnuunt, nec denunciari sibi divinam patiuntur legem, nec omnino eos, qui rite denunciant, ferre possunt. Itaque coniurati Ecclesiam perdere, quoties turbulentioribus aetatibus contra omne ius fasque communitatis humanae immania edidere crudelitatis exempla! — Ergo aliud ex alio omnia tentata genera saeviendi. Recens ab origine, vi tormentisque cruciatum publice christianum nomen; triumque saeculorum spatio Urbem romanique imperii fines perfudit martyrum cruor. Tum, domestica pestis, haereticorum perfidia extitit, tecte primo, dein audacter aggressa technis rationumque fallaciis concentum fidelium unitatemque dissolvere. Erupit deinceps plus semel a septentrionibus barbarorum procella, Sarace-

[1] Luc. II, 34.

norum ab austro, internecionem vastitatemque faciens. Cumque veluti provinciam male habendae Ecclesiae aetas aetati transmitteret, eam suscepit, restituto imperio, Caesarum dominatio, superba fere atque impotens; quae sollicita ne prae se sacra potestas cresceret, eius sive libertatem coercere sive iura attentare non destitit. Taedet considerare, quot quantisque difficultatibus affecta atque afflicta subinde Ecclesia fuerit. Illa vero ex angustiis incommodisque evadere fortior; pacifici regni sui proferre terminos; nec veteris humanitatis fructus negligere, custodiendis litterarum et artium monumentis; sed laborare in primis, ut civitatem penitus evangelica sapientia pervaderet totamque imbueret. Ita christianum cultum in commune invexit; peperitque conformatis eo cultu gentibus aequitatem legum, mansuetudinem morum, tenuium tutelam, calamitosorum inopumque misericordiam, alieni iuris dignitatisque verecundiam, denique civilium rerum cursum, pro naturali studiorum concertatione, tranquillum, temperante nimirum iustitia libertatem.

Documenta tam magna tamque illustria beneficae virtutis suae cum daret Ecclesia, ad finem aetatis mediae processit, invidia improborum comite: quae autem sequuta est aetas dimicationes ei vel acerbiores attulit. Etenim saeculo sextodecimo luctuosa illa exarsit, cuius nota sunt semina, perduellio Novatorum; qui caput ipsum adorti, idest romani Pontificis auctoritatem, unde universitas Christifidelium in unum corpus coalescit vivum vigensque, florentissimas gentes a catholicarum complexione misere

abstraxerunt. Quo facto discidio illuc necessitate evasere, quo fortasse non spectarant, ut christiani nominis vix umbram retinerent, rem fere exuerent. Nam abiecto semel ex una parte magisterio Sedis Apostolicae, quo maxime unitas fidei salva consistit, posito ex altera proprium cuique iudicium esse normam credendi, infinitis sententiarum commutationibus patuit aditus; quare iam nullum est tam sanctum doctrinae christianae principium, quod non illi aut in dubium revocent, aut funditus repudient.

Idem insistentes iter, progressi sunt longius, qui insolenter se philosophiae nomine iactarunt saeculo duodevicesimo. His nullae fuere divinae litterae; nulla, Deo manifestante, nota veritas; unum propositum, ex animo populorum omne christianae religionis vestigium abolere. Ex his fontibus perniciosa illa fluxere portenta *rationalismi, pantheismi, naturalismi, materialismi;* quibus veterum errores, quos sancti Patres vindicesque fidei splendide convicerant, specie instaurantur nova: prorsus, ut superbia recentiorum, contempto christianae sapientiae lumine, ad ethnicae vetustatis deliramenta regrediatur, vel quod attinet ad animorum naturam et immortalitatem.

Itaque factum ut, multo quam antea, ingravesceret ad hanc diem in Ecclesiam bellum, latiusque manaret. Siquidem aetas incredula non satis habet unum et alterum fidei sanctae oppugnare caput: cuncta simul caelestium doctrinarum principia, ipsa sana philosophia reclamante, aggreditur. Atqui huiusmodi principia divinissima hominem de supremo fine monent sui, in officio continent, afflictum

recreant tolerantiamque dolorum docent, atque erectum in expectationem incorrupti iudicis Dei, vitaeque post mortem beatae, iubent terrestria posthabere caelestibus, caduca mansuris. Porro in locum fidei, quae tantae salutis ubertatisque affert elementa, quid isti sufficiunt? Nempe abnormem veritatis fugam, quae frangit animos et omnes generosae virtutis nervos elidit.

Iamvero pravarum doctrinarum luem videtis, Venerabiles Fratres, ex opinionibus hominum in agitationem vitae venasque rei publicae defluxisse. Magnae enim et imperiosae civitates adhibere eas doctrinas atque usurpare non intermittunt, se ratae propterea progredientis humanitatis videri duces. Etiam fere qui civitatibus praesunt, perinde quasi non debeant assumere sibi et praeseferre quantum in communibus moribus est optimi, solutos se putant officio colendi palam Numinis; saepiusque fit, ut professi omnium religionum aequam se habere rationem, cum ea solum inimice agant, quam Deus instituit.

Comparatis autem ad contemptum Dei civilibus rebus, quam necesse fuit consequi, consequuta est magna perturbatio demutatioque morum: quippe recti honestique fundamentum religio continet; id quod ipsi sensere ethnicorum sapientissimi. Etenim, abruptis officiorum vinculis, quae hominem iungunt Deo, summo omnium legislatori et iudici, nihil superest, nisi simulacrum illud honestatis mere civilis, sive, ut aiunt, a nullo pendentis; quae nimirum de lege aeterna praeceptisque divinis nihil pensi

habens, illuc prono itinere ad extremum evadit, ut hominem suarum ipsius cupiditatum arbitrio permittat. Qui quidem spe dimotus supernorum bonorum, quid aliud malit, quam ingurgitare se in huius commoditates suavitatesque vitae: explere crescentem voluptatum sitim; divitias quaestusque immodicos avidius, invita etiam iustitia, facere; auctaque libidine dominandi, ad imperia honoresque quavis demum arte conniti? At ubi sic animos multitudinis transversos agit licentia, iacent leges, iacet auctoritas publica; nec iam longe abesse communium temporum pernicies potest.

Iamvero quae incommoda dicimus ex hac tanta rerum perturbatione gigni, plus nimio constat evenisse; videmusque congregationis humanae fundamenta, aeternis submotis iusti rectique principiis, nutare. — Atque cum omnia civitatis membra, tum domestica societas praesertim magnam plagam accepit. Nam, alienus ab Ecclesia, principatus civilis rationem finesque migrans ditionis suae, maritale vinculum sibi vindicavit, omnique exuit sanctitudine; nativum parentum ius educendae prolis violavit; stabilitati coniugiorum multifariam obfuit, concessâ legibus divortiorum facultate. Inde est, quod nemo ignorat, ut excrescat quotidie nuptiarum numerus, quas uti libido temere conciliavit, ita brevi fastidium infidelitasque dissolvit: nihil autem sit miserabilius conditione sobolis, quae et parentum incuriâ aut etiam consuetudine mala mature corrumpitur, et a profana institutione reipublicae imbibit pravarum opinionum virus.

Domesticarum rationum labes labem socialium et politicarum tulit; maxime quod nova commenta germanam notionem principatus, praeposterâ eidem tributa origine, adulterarunt. Etenim si est ut auctoritas principum non a Deo, supremo aeternoque omnis potestatis fonte, verum a populorum consensu suffragiisque oriatur, continuo illud ipsa deperdit quod unum eam religiosissime commendet civibus, abitque in facticium quoddam imperandi genus, tam instabili et lubrico nixum fundamento, quam est mutabilis hominum voluntas. Ex quo illud apparet effici in legibus, ut plerumque victricem quidem sententiam politicarum partium, numero antecedentium, minime vero *scriptam rationem* referant, uti par est. Ob eamque ipsam caussam cernere licet, foveri appetitiones proiectas multitudinis; dari frenos popularibus cupiditatibus, ipsa negotia pacemque civium interpellantibus; eos autem multa cum vi atque etiam caede inhiberi, quotiescumque sit ad extremum casum res adducta.

Similiter, ubi a communi iure gentium exsularunt christiana praescripta, quorum mira vis est ad devinciendas invicem et quasi conglobandas universas in unam veluti familiam, paullatim instituerunt nationes sua quaeque immoderate quaerere, aliena aemulari, atque inter se si minus infestum animum gerere, at certe suspiciosum. Quare in suis eas coeptis non magnopere celsa honestatis iustitiaeque forma movet; nec sua quidquam interesse putant, contra vim potentium humiles defendere: sed totae cum sint in amplificandis sine modo opibus suis, unice quod

opportunum atque utile sibi fore censuerint, id maturant exsequi: siquidem persuasum habent, facinore patrato feliciter, qui se reducturus sit ad officium, fore neminem. His igitur iudicandi normis, supremam legem rerum humanarum statuunt vim esse: eamque ob caussam certatim intenditur undique militaris instrumenti immanitas; unde eiusmodi pax exsistit, cuius detrimenta perniciosissimum quodque bellum exaequent.

Perturbatâ vero publicorum disciplina morum, crevere immensum tenuium incommoda, inquietos contumacesque commoventia spiritus: indeque illa nata turbarum seditionumque frequentia, quae graviores iam formidines portendit. Indigne quidem minuta plebs magnam partem laborat, quibusque premitur rerum omnium angustiis liberanda aut certe levanda celeriter est: iis tamen angustiis commode abutuntur ad sua consilia concitatores vaferrimi, *Socialistae* in primis, qui plebem fallacibus pollicitationibus infatuantes ad teterrima peragenda proposita grassantur.

Quoniam autem per declive ruentem necesse est ima petere, ex positis principiis necessitas consecutionum demum effecit, ut consociatio quaedam coiret hominum perditis moribus ingeniisque efferis, quorum atrocia facta terrorem ubique brevi iniecerunt. Opibus valida et numero gregalium in omni gente, quonam iam non potest consociatio istiusmodi consceleratas afferre manus, fidenterque capitalia quaelibet audere? Qui autem in ea sunt haeresi, ii revulsis legum religionis morumque vinclis, a civili se convictu alienos penitus haberi volunt; imposi-

toque sibi *anarchicorum* nomine contendunt omni furiosae temeritatis impetu societatem humanam ab imis radicibus evertere. — Quia vero societas cohaeret vigetque potissime temperatione potestatis publicae, idcirco potestas potissime est telis profligatorum hominum proposita. Ecquem non perfudit horror miserantem simul et indignantem, cum videret his paucis annis aut paratam necem aut allatam imperatoribus augustisque foeminis, regibus et amplissimarum praesidibus rerumpublicarum, neque aliam ob caussam, quam quod potentatum obtinerent?

His tot tantisque vel prementibus malis vel ingruentibus periculis, Nostrarum esse partium intelligimus, omnes quotquot sunt recte animati, eosque magis qui potestate antecellunt, cohortari denuo atque adeo obtestari, idonea velint, quae suppetunt, remedia attendere, eaque vigilanter nervoseque properent adhibere. Principio autem illa quae sint, quantaque polleant virtute considerandum est. — Libertatis quidem praedicari commoda audivimus magnificeque eius laudari virtutem, tamquam pacis actuosaeque prosperitatis effectricem, ut nihil supra: sed mancam illam ac debilem exitu rebusque satis cognovimus. In bonis fortunisque, in ordinibus civium calet flagratque apud omnes, quae ubique sunt, gentes contentio; necdum tranquille placideque in civitate vivendi spes ulla ostenditur. Quin etiam illud, quod hodie placet, ut promiscuo iure libertatem usurpent error cum veritate, cum honestate turpitudo, exploratum cuique est quo pertineat; nempe ad

quaecumque sunt honorabilia sancta excelsa opprimenda, muniendamque viam maleficiis, necibus voluntariis, turpissimarum flagitiis cupiditatum.

Visum est etiam valde conducibile, popularem eruditionem provehi; quippe, quo cultiores, dispulsis inscientiae tenebris, animi fierent, eo contra prava studia cupidinum munitiores forent, faciliusque essent honesti rectique normam servaturi. Verumtamen institutio eiusmodi, quae a solida religionis morumque disciplina abhorreat, quotidianis prope constat experimentis, quo tandem evasura sit. Perversarum error opinionum, quas ephemeridum praesertim infinita licentia fundit, adolescentem aetatem, improvidam eam quidem maximeque cupiditatibus concitatam, facile decipit; mentes animosque passim depravando corrumpit; ac talem vulgo alit superbiam et intolerantiam, quae familiarum statum pariter ac civitatis permisceat.

In assiduis quoque doctrinarum progressionibus spei multum multi collocarunt. Quo quidem in genere incrementa proximum saeculum et magna et nova et admirabilia vidit: illos vero tantopere concupitos indeque expectatos, fructus salutis uberes num vidit? Recentiorum sane sollertia novos eosque immensos campos ingeniis ad pervestigandum aperuit, hominis in naturas corporeas dominatum protulit, commodisque multis actionem auxit vitae mortalis. Rem tamen spe deterius evenisse, cuique conspicuum est consideranti et hunc talem animorum morumque habitum, et annuas descriptiones criminum, et ab infimae sortis hominibus formidolosos fremitus, et vi iura

subacta. Atque ut mittamus de redacta ad incitas plebe, mentes passim inopinabilis quaedam premit aegritudo, intimoque desiderii sensu oblanguent pectora. Neque enim si res corporeas sibi obnoxias homo fecit, animum tamen explevit suum; aut quod plura scientiae investigatione compererit, eo in maximis difficillimisque caussis haeret minus. Omnino veritatis, virtutis, infinitique sitientem boni irritant terrena, non satiant; externarumque augendâ copia suavitatum, nequaquam ex animo demi sollicitudines possunt.

Contemnendae ne igitur sunt aut negligendae doctrinarum opes, civilis culturae, temperatae moderataeque libertatis? Minime vero: immo tuendae promovendaeque, ac perinde habendae per se sunt, ut totidem ab ipso Deo comparata subsidia ad humani generis utilitatem. Attamen ita ea sunt reapse, consilio Creatoris, frugifera, si apta et connexa fuerint cum virtute religionis, unde omnem vim habent, utilitatis bonae efficientem. Nimirum haec una res caussam continet. Nam ut quidque, si dimotum sit a caussis, a quibus consentaneam trahit stabilitatem, necessitate corrumpitur; ita pariter cum ea ipsa caussarum virtute denuo coniungatur oportet, si volet corruptum restitui. Iamvero civitas, ex quo stultissimum iniit consilium sese vindicare a Numine, divinitus traditas doctrinas atque adeo quaecumque sunt supra naturam proterve respuens, salutiferam ab se prohibuit christianae religionis efficientiam; unum illud videlicet omnium vel ordinis firmamentum solidissimum vel germanitatis validissimum vinculum vel recte factorum publice privatimque inexhaustum fontem.

Itaque hoc ipsum civitatis a religione discidium magna vitae morumque secuta perturbatio. Ad christiana igitur instituta se recipiat opus est devia civitas, si prosperas, si pacatas, si salvas esse res suas velit. — Quemadmodum enim nullius christiana sapientia illabitur animum, quin faciat eo ipso meliorem; eodem modo ubi cuiuspiam pervasit illa administrationem reipublicae, continuo pacatior tranquilliorque status consequitur. Siquidem Dei notione providentissimi, sapientissimi, infinitaeque eius tum bonitatis tum iustitiae mentes imbuens, ad conscientiam officii revocat, aerumnarum acerbitates temperat, mollit iras, suadet magnanima. Quod si penitus commutavit illa nationes ethnicas planeque ab interitu revocavit ad vitam, si qua vestigium posuit barbariam exclusit, eadem profecto poterit perturbatam, postquam a se declinavere, civitatum disciplinam rursus, ubi ad se redierint, componere. — Sed is, quem dicimus reditum, ut veram plenamque salutem efficiat, hoc vult, ad unius sanctae catholicae apostolicae sinum complexumque redire Ecclesiae. Etenim christianam sapientiam reapse sola totam Ecclesia continet, summe spiritualis illa quidem at numeris omnibus absoluta societas: in qua consistit corpus Iesu Christi mysticum, cuius aspectabile caput est, principis Apostolorum obtinens locum, romanus Pontifex. Ipsam Liberator humani generis constituit perfectricem operis sui, partaeque ab ipso salutis administram: Evangelium in orbem terrarum ipsa disseminavit fusoque sanguine asseruit; ipsa sanctissimis freta promissis, praesentem sibi non defecturae adfore Deum, a

quavis erroris contagione integram Christi doctrinam perseverat ad postremam saeculorum aetatem prodere. — Dux eadem legitima morum ad Evangelii praescripta, non ea solum tuetur, quae singulis ad sempiternam salutem opus sint, verum etiam quae maxime conducant reipublicae, iustitiam, caritatem mutuam, veri nominis libertatem, eamque quae una potest esse, civium aequabilitatem. Praeceptis enim institutisque divini Conditoris sui, iura rationesque omnes communitatis humanae suo quodque momento ponderata dispensat atque componit. Ita cum pares inter se ab eiusdem consortione naturae iubet haberi cives, iubet eodem tempore inviolatos esse, quos natura ipsa discretos vult, varios ordinum gradus. Libertatemque affert eiusmodi, quae rationem ab obsequio obedientiaque fidei nequaquam eximat, aut sibi ipsam permittat; in quo ius esse edicit, ut libertas veritati concedat, vis numerusque iustitiae, ea quae sunt hominis iis quae sunt Dei.

Neque eo minus salubriter convictum domesticum Ecclesia iuvat: quae et ipsum ab insidiis et licentia impuratorum fidei hostium tegit, et arctissima coniugalis amoris vincula confirmans, honestatem thalami sanctitudinemque custodit. — Eadem porro in genere civili et politico conservat ordinem et roborat, cum ex una parte eorum qui imperant, sustentet auctoritatem, ex altera eorum qui parent, si quando rite meliora quaerant, aequis suffragetur optatis: hinc scilicet sartam tectamque decernens esse verecundam principibus obtemperationem, illinc inviolabilia iura vindicans humanae dignitatis. Atque ita aeque

a servitute longe distabit et ab herili dominatione civitas, dum dicto audiens fuerit Ecclesiae.

Harum Nos quidem rerum probe conscii, vixdum suscepto Pontificatu maximo, illuc curas omnes cogitationesque convertimus, ut eminerent per Nos atque exstarent plena salutis consilia Ecclesiae, atque eius cum doctrinarum lux tum vis beneficiorum, quam latissime posset, pertineret. Eo spectarunt quae profecta sunt a Nobis documenta praecipua, nominatim Encyclicae Litterae *de philosophia christiana*, *de libertate humana*, *de matrimonio christiano*, *de secta Massonum*, *de politico principatu*, *de civitatum constitutione christiana*, *de sectis Socialistarum*, *de praecipuis civium christianorum officiis*, *de conditione opificum*, aliaeque simili argumento. Cumque Nobis esset in summis votis non modo collustrari veritate mentes, sed etiam revocari ad christianarum virtutum cultum voluntates, propterea quantum cohortando praecipiendoque potuimus, nihil fecimus reliqui, ut ad sempiterna adamanda bona excitaremus animos; utpote ad quae omnem vitae referri cursum oporteret. Factumque est, ut bene multi, adiuvante operam Nostram Dei gratia, et firmius in veritate consisterent, et in difficillimis gravissimisque caussis plus viderent, et ardentiore studio inflammarentur ad eam, quae ubique in miseros impenditur, multiformem beneficentiam: ut est nimirum christianae caritatis ingenium, ad quasvis vulgi se miserias porrigens. Quod si tamen uberiores capere fructus non licuit, revereamur arcana Dei consilia, Venerabiles Fratres, imploremusque, benignus respiciat tam

ingentem hominum numerum, in quos nimium quam convenit illud Apostoli: *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriae Christi* [1].

Hi enimvero Ecclesiae, egregium studium populis in omnes partes navantis, tanto cum odio connituntur obscurare existimationem, interpellare operam, ut facile possis *tenebrarum filios* agnoscere. Itaque in multis fallaciis calumniisque, quibus vulgi imperitiam capiant, et aemulationi serviant imperii, illa malitiosius conficta: Ecclesiam vel scientiae intercipere itinera, vel libertatis impedire usuram, vel in aliena invadentem, iura ad se rapere civitatis. Quae tamen crimina, sicut os adversariorum millies intulit, ita millies ratio, historia, consensus hominum recte sentientium propulsavit.

Inimicam doctrinarum et humanitatis aiunt Ecclesiam. Quasi vero quod tradita divinitus dogmata vigilanter custodit, eo ipso non optimis quibusque disciplinis et artibus fautrix adiutrixque sit. Tantum enim abest ut notitia rerum maximarum, Verbo Dei aperiente accepta, a quo ut a summa veritate quaecumque sunt vera manant, quidquam naturali cognitioni noceat, ut etiam humani ingenii facultatem roborando exacuat, submoto in gravissimis rebus errandi periculo aut ancipiti cogitandi cura. Ceterum exstant in memoria horum undeviginti saeculorum insignia Ecclesiae in omne doctrinae genus promerita, quae

[1] II Cor. IV, 4.

falsum convincant. Ecclesiae catholicae laus est, vulgasse et custodisse evangelicam sapientiam; quae si non esset, etiamnum in tenebris superstitionum et barbariae iaceret orbis terrarum: unam curasse ut veterum litterae ne interirent penitus, ad nosque pervenirent: primam populo aperuisse litterarios ludos, eamdemque lycea illa magna instituisse, quae hodie exstant celeberrima: denique in omni genere et varietate artium fovisse homines praestantissimos, ingeniaque scriptorum ad excellentiam sinceramque gloriam excitasse.

Iniquam libertati dicunt Ecclesiam. — Nihil vero minus; si quidem maneat sua vis vocabulo, nec quod nobilissimo naturae muneri ac dono impositum est, id ad pravitatem vitiumque transferatur. Nam quam esse volunt libertatem, ut, nullis legibus frenisque cohibentibus, quod cuique libuerit facere liceat, eam quidem, nedum Ecclesia, nemo sanus probaverit; potestatem vero expeditam largamque ad legis aeternae normam agendi, in quo ipso posita est digna homine utilisque civitati libertas, nemo unus tuetur quam Ecclesia diligentius. Operâ igitur et perseverantia Ecclesiae, in summis doctrinae suae capitibus aequalitatem fraternitatemque omnium inter se hominum defendentis, deletum apud christianas gentes servitutis dedecus: contra factiones potentium tectae rationes inopum: asserta multo cum sanguine martyrum christiani nominis professio: observata in puero et in foemina humanae personae dignitas et iura: in ipsoque civili et politico libertatis genere plurima populis importata adiumenta.

At, suos praetervecta fines, Ecclesia iura occupat reipublicae. — Imo vero Ecclesiae est celebrata doctrina, praecepisse Christum reddi Caesari quae sunt Caesaris, Deo quae Dei sunt; atque ita alteram inter et alteram potestatem, utramque in suo genere maximam, fixum illud et stabile sanxisse discrimen, quod magnopere ad christianam explicandam urbanitatem valuit. Porro nihil tam alienum ab Ecclesia, quae spiritu caritatis agitur, quam inimice se gerere erga potestatem politicam; cum qua imo studet concordi actione contendere ad eorumdem hominum eiusdemque humanae societatis bonum: quamquam ipsa congruenter suo divino muneri, multo, quam civitas, maiora spectat. Quodsi actio Ecclesiae vacuos omni suspicione animos inveniat, tum demum saluberrimos eos est latura fructus, quos diximus. Sed in quo ipsam reprehendunt tamquam in res civiles involantem, vetus est agnoscenda vituperatio, ob eam caussam usurpata, quod quotquot Ecclesiam opprimerent, id iure se facere videri vellent. Cuique autem sincero aestimatori rerum et iudici testis est locuples historia, iniurias Ecclesiam nullas cuiquam unquam fecisse; plurimas, ad similitudinem Auctoris sui, tolerasse: idque propterea quod non vi et armis valeret, verum opinione et veritate.

Relinquitur, harum et similium insimulationum esse malevolentiam caussam. — Hoc autem nocendi studio et mentiendi facile praestat lucifuga quaedam hominum consociatio, iampridem in medullis ac visceribus civitatis inclusum malum, quod ipsius civitatis vires omnes debilitat

frangitque. Perturbationem spirans rerum publicarum, ita est ea quidem constituta, ut sit contraria societas societati civili, in quam dominari e suis ipsa latebris contendit: proptereaque ipsi cum Deo Ecclesiaque Dei naturale quoddam bellum est. Hae tamquam insignes notae satis cuique produnt *sectam Massonum*, cuius, dedita opera, in Litteris Encyclicis *Humanum genus*, XII cal. maias anno MDCCCLXXXIV datis, consilia doctrinas facinora exsecuti denuntiando sumus. Longe lateque serpens, iam omnes fere gentes pervasit istius lues exitiosa sectae, quae ceteras sibi cognatas complectitur sectas, occultâque movens machinatione dirigit. Neque id dumtaxat: sed qua multarum utilitatum fructibus asseclas suos pelliciendo, qua magistratus sollicitationibus aut minis flectendo, in omnes iam reipublicae ordines intulit sese: adeo ut respublica specie quidem legitime geri, re vera penes ipsam esse videatur. Haec tamquam spiritu inflata Satanae, qui, ait Apostolus, *transfigurat se in angelum lucis* [1], quum humanae communitatis commodis se natam praedicet, in rem suam quidquid potest, convertit; quum nequaquam se spectare ad politica confirmet, maxime se lationi legum gubernationique civitatum miscet; quumque sanctam sibi esse profiteatur maiestatem principum, nec ipsam invisam religionem, id tamquam extremum molitur, quod eius prolata in lucem statuta clamant, principatum sacrumque ordinem perdere, utrumque sibi libertatis hostem.

[1] II Cor. XI, 14.

Itaque in dies magis illud patescit, impulsu praesertim operaque Massonum, sicut iamdiu solitum graviter catholicum exerceri nomen, sic recens ipsius oppugnationem recruduisse. — Et re vera, coortum nuper pluribus locis uno tempore subitum invidiae incendium, nec ullâ satis idonea explorata caussa; similia ubique ad ipsum excitandum instrumenta, videlicet ephemeridum protervitas, turbae concionum, scenicorum petulantia ludorum; eadem via populos commovendi, hoc est falsa atque iniqua insimulatio probrorum: talia profecto similitudinem mentium indicant, unumque ducem. Quamquam, hoc factum partis cuiusdam instar haberi debet ad universam pestiferi belli institutam rationem, quam diximus; quaeque urgetur in id maxime, ut paullatim destituta ab omni de religione doctrina, soboles succrescat incuriosa fidei sanctae aut prorsus incredula; ut assidua procacitate scriptorum christiani expugnentur mores; ut ludibrio habeantur instituta Ecclesiae et sollemnia sacra contemptui.

Quoniam autem Cleri proprium est imbuere religione animos ac ministrare sancta, idcirco elevandae in populo auctoritati gratiaeque Cleri multo vehementior datur opera. Tantoque accrescit audacia homines honestissimos in suspicionem crimenque adducendi eisque iniurias contumeliasque imponendi, quanto est maleficiorum impunitas quotidie maior. Itaque non satis habitum est, addixisse in militiam Clericos, intercepta eorum maturitate tirocinii; aut Ecclesiam spoliasse bonis, piorum in ipsam liberalitate collatis; aut alia indigne fecisse: nova sacer ordo pati detrimenta

cogitur. — In primisque familiae et sodalitates religiosorum: quibus, utpote ad evangelica consilia aetatem exigentibus, ea res proprie vitio vertitur, quae civitatum non minus quam religionis praeclarum ornamentum continet. His igitur ea dolemus inique odioseque inusta nuper vulnera, quae nemo frugi quispiam non improbaverit. Nihil ipsis ad defendendam calamitatem valuit morum integritas, illustrior ea quidem quam ut ullis certis criminibus infuscari potuerit; nihil civilium statuta legum, quibus naturale ius honestam quampiam ob caussam coeundi sancitur; nihil memor gratia populi, referentis iis accepta cum magna doctrinarum et artium atque ipsius agrorum culturae incrementa, tum instituta effusissimae in aerumnosam plebem beneficentiae. Ita populares viros foeminasque complures, qui domesticis spretis voluptatibus, ut iuventam ingenium vires animam denique suam bono communi devoverent, sponte ac voluntate pacificas inierant sodalitates, in tanta copia libertatis vidimus tamen, sicut nocentium contaminatos greges, abire excedere iussos.

At vero mirum non est, ita mulcari male filios pientissimos, quando non lenius agitur cum Patre, hoc est cum Capite ipso catholici nominis, Pontifice romano. Compertas omnibus res loquimur; scilicet ut deturbatus de civili principatu Pontifex, alieni esse arbitrii coeperit, contra quam pertinens ad omnes gentes Apostolici ministerii perfunctio postulat; utque premente dominatu hostili, coactus Romae in Urbe sua continere se in suis aedibus, iniusta indignaque rerum conditione utatur: idque post-

quam ad ludibrium spopondissent, tutam ipsius et dignitatem et libertatem fore. Novimus Ipsi quibus quantisque impedimentis praepediatur opera Sedis Apostolicae, cuius ad minuendam maiestatem ipsa eius consilia perverse interpretari placet. Quotidieque illud magis emergit, eo civilem eversum esse principatum, ut expeditior via esset ad sacram Pontificum evertendam potestatem: quod ceteroquin, missis ambagibus, profiteri qui auctores principesque facinoris fuerant, non dubitarunt.

Id vero contra rem non modo publicam sed socialem quoque esse factum, ex iis quae sequuta sunt, liquet: siquidem naturâ fit, ut coniecta in religionem tela, in humanam recidant societatem. Nam Deus, sicut hominem ad societatem finxit et conformavit, ita providentissimo consilio condidit Ecclesiam, sublimemque locavit, quemadmodum Scriptura loquitur, in monte Sion; unde latissime elucens, multiplices promoveret vires, humanae insitas societati, eamque, caelestium praescriptionum ope, ad consentaneam perfectionem adduceret. Quapropter, si ab Ecclesia, cuius virtute magnam partem viget, societas humana secesserit, declinet sane aut ruat necesse est; quippe iis disiunctis rebus, quas Deus voluerit coniunctas.

Haec Nos quidem, tametsi numquam per occasionem praetermisimus, rursus in hoc tempore opportunum censuimus admonendo urgere. Ex quo utinam eum capere fructum liceat, ut et nostri, communis utilitatis caussâ, instituant rectius contendere et animosius; et alieni intel-

ligant, quam sit iniustum maternam Ecclesiae caritatem ac praeclaram in humanum genus beneficentiam odio malefactisque rependere.

Ceterum, sit sane formidolosa imago, quam adumbravimus, horum temporum: non tamen remittendum de spe fiduciaque est, providentissimum Deum tempestivam nobis victoriam aliquando daturum. Nos enimvero dolemus intime, neutiquam timemus Ecclesiae, natae ad vexationes tolerandas, ut initio diximus. Ipsam si Deus vexari exercerique sinit, primum ob eam caussam sinit, ut probet limetque virtutem bonorum; deinde praesentiam auxilii sui demonstrat, per novas nec opinatas vias sospitans ab hostium conspiratione Ecclesiam et producens. Constat undevicenorum saeculorum experimento, procellas in ipsam tumultuosiores quam perniciosiores solere exsistere.

Atque illud hoc tempore Nos recreat, quod ad fiduciam sustentandam certa rerum argumenta non desunt. Repugnandum difficultatibus est sane gravibus; sed plura nunc eveniunt, unde eluceat Deum persolvere promissa, fidelitate mirabili. Videre licet Ecclesiam, contra tantas adversantium coniuratas vires nullo humanitus praesidio munitam, unam tamen excellere, per assiduosque auctus invalescere in quavis ora ac parte terrarum. Omnino *princeps mundi huius,* semel a Iesu Christo exclusus, hic iam non dominabitur: urgere mala consilia nocendo potest, perficere non potest. Atque in tanta conversione communium temporum, quantam contraria hominum studia et erumpentes quotidie sectae gignunt, beneficio tribuendum

est, foventis Ecclesiam, Spiritus Sancti, si non animos modo piorum sed universitatem catholici nominis mira quaedam securitas tenet: idque ob eam potissimum, quae nunc, si unquam alias, viget inter Episcoporum ordinem et hanc Apostolicam Sedem summa coniunctio. Haec porro coniunctio arctiorem suapte vi facit eoque feraciorem in omni pietatis caritatisque genere, tum Episcoporum cum cetero Clero, tum cum Clero necessitudinem laicorum: qui quidem experrectiores iam inanique omisso pudore certant pro religione dimicare. Istam Nos quidem studiorum concordiam, ut saepe commendavimus adhuc, ita magnopere in praesens commendamus: beneque precamur, ut eo latius increscat, sitque ad retundendos impiorum impetus pro muro inexpugnabili.

Tum proclive erit, tamquam ex arbore surculos, renata virescere sodalitia ex eis institutis non pauca, quae instituta laetissime provenire in Ecclesia cernimus. Neque enim est ullus publicae pietatis ab his neglectus modus, sive quod ad colendum rite Christum et augusta ipsius mysteria, sive quod ad beatissimam Deiparam caelitesque sanctissimos pertinet. Similiter nulla praetermissa beneficentiae ratio: siquidem multiplex ubique impenditur opera erudiendae ad religionem iuventuti, solandis curandisque aegrotis, populorum conformandis moribus, miseris aerumnosisque relevandis. Atqui tamen eiusmodi instituta, ne ad communem salutem celerius uberiusque proficiant, nimium saepe per summam iniuriam prohibentur publice!

Praeterea, cum ita, Dei munere, laetemur Ecclesiam in iis valere regionibus quas ad christianum cultum eductas iam diu possidet, tum etiam laetabilia spei novae se dant indicia. Idque ab industria studioque missionalium, qui nec laboribus victi nec periculis deterriti, in summa rerum omnium inopia, plures quotidie et alacriores, pergunt solidas nationes humanitati Evangelioque acquirere: pergunt constanter; licet, ut Magister divinus, crebris obtrectationum morsibus obnoxii.

Aegritudinum igitur sensum solatia temperant: atque inter discrimina istius certaminis satis est caussae, cur meliora posthac coniiciendo recreemur. Quam quidem rem quisquis acuto sinceroque iudicio apud se reputaverit, intelliget profecto, Deum uti sua instructum ope docuit hominem, quae ad finis ultimi adeptionem facerent, item per Ecclesiam, ipsius manifeste praesidio subnixam, hodie quoque docere, ubi veritas, ubi sit quaerenda salus.

Utcumque erit, assidente Ecclesiae Deo, sperandum firmiter est, fore ut, discussa qua nunc obscuratur caligine, lux veritatis opportuno tempore nec ita longo intervallo pulcrior effulgeat, atque humana societas, profligata prope ac perdita, afflante rursus Evangelii spiritu, resurgat.

Nobis quidem, Venerabiles Fratres, quae Nostrae sunt partes, omnia conari certum est ad tuendum ac promovendum Dei regnum in terris, si quo modo auspicatissimum adproperare diem liceat. Vos autem in pastorali officio novimus multo esse diligentiores, quam ut a Nobis hortandi sitis. Sed istâ studii vestri flagrantia volumus sacrorum

administros magis magisque calescere, socios vobiscum operae et laboris. Hi enim quae populus velit, quibus rebus indigeat, quae mala toleret, quot quantisque insidiis aut corruptelarum illecebris pateat, optime norunt, quippe vivunt cum populo. Quodsi Iesu Christi sensu abunde praediti, despectisque concertationibus politicarum partium, vobiscum una desudaverint, mirum quantum, auxiliante Deo, efficient in multitudine, collustrandis veritate mentibus, animis comitate alliciendis, sollerti caritate afflictam tenuium fortunam sensim sublevando. — In quo multum sane adiumenti conferet Clero actuosa proborum industria laicorum: atque ita quicumque in sinu complexuque Ecclesiae matris alti eductique sunt, omnes, ut gratos filios addecet, honorem ipsius et decora tuebuntur. Ad id autem operis, debitum in primis maximeque ad aeterna frugiferum, nemo non potest aliquid prodesse. Nam exculti doctrinis aut litteris homines possunt vulgandis in Ecclesiae defensionem scriptis, praesertim quotidianis; quod instrumentum perquam efficax in utramque partem, usitatissimum adversariis est: possunt patresfamilias, vel per se vel per praeceptores bonos impertiendis christiana institutione liberis; magistratus etiam quique populi personam gerunt, constantiam recte sentiendi virtutemque retinendo; omnes denique, nullo ad humana iudicia respectu, catholicos sese praestando. — Enimvero sapienter sentire, generose velle, ordine contendere oportet ut cum maxime. Ordinis autem disciplinaeque caput est, obedienter et cum omni fide huius Apostolicae Sedis servare praescripta:

ita ut sublatis opinionum dissidiis, illuc communiter tendatur, quod est commune propositum, Iesu Christo in Ecclesia victori sternere iter.

Id laborare catholicos, officium est: laborum exoptatum exitum Ille dabit, amantissimus idemque sapientissimus sponsae suae immaculatae custos, de quo scriptum exstat: *Iesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula* [1]. Ipsum igitur nunc quoque imploramus obsecramusque, qui atrocissimam pro humano genere mortem, immensum testatus amorem, ad expiandum oppetiit; quique mysticae navis sedens non visus gubernator in puppi, tot tantosque commotos fluctus potest uno nutu componere. Vosque, Venerabiles Fratres, ad Ipsum eritis Nobiscum supplices, ut hac mole malorum civilem societatem levet; splendorem lucis suae ad eos afferat qui ignoratione potius quam voluntate improba christianum nomen impugnant: robur alacritatemque novam bonis iniiciat: denique pacem et tranquillitatem communibus rebus, dominante rursus veritate iustitiaque, maturet.

Auspicem divinorum munerum vobis, Venerabiles Fratres, et gregi universo curis vestris concredito Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Martii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

[1] Hebr. XIII, 8.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

IVLIO ARCHIEPISCOPO BARENSI

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Multiplici paratum industria, studiisque expetitum episcoporum omnium Apuliae provinciae, consalutare libet alterum catholicorum coetum, qui in urbe Barensi propediem cogetur ad ea consulenda atque efficienda quae huius regionis emolumentis, reique praesertim christianae amplificandae, maiorem in modum conducant. Quam quidem ad rem valuisse multum comperimus et consentientes episcoporum voluntates, et omnium incensos ad religionis commoda animos, et tuam praecipue sollertiam diuturno coetus habendi molimine probatam, meritoque idcirco laudandam. Vobis autem consilia et vires in unum opportune conferentibus, magnam insidere animo Nostro expectationem vestrae virtutis profitemur, quum regionem vestram, quemadmodum ingenii celeritate commendatur, ita etiam studio rei catholicae provehendae claram insignemque

velimus. Quamquam expertis non semel Nobis Apuliae episcopos actuosae operae laudem egregie fuisse promeritos, licet procul dubio sperare conventum Barensem fecundissimo exitu esse concludendum. Huic autem spei votorum etiam Nostrorum auspicium adiicimus; divinamque opem adprecati, benedictionem Apostolicam tibi ac ceteris qui in coetu aderunt, tum episcopis tum christifidelibus, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Aprilis MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

LEO PP. XIII

MOTV PROPRIO

Ad pastoralem Romani Pontificis sollicitudinem pertinere perspicuum est, ut ea, quae certis suadentibus causis per suos Decessores circa Romanae Curiae Officia fuerant ordinata, instituta atque concessa, siquidem cum novis temporum rerumque necessitatibus haud amplius congruere et potius in animarum perniciem vergere conspiciat, aut in totum supprimere, aut immutare, aut etiam revocare studeat, prout ipse in Domino salubriter expedire iudicaverit.

Cum autem inter alia Romanae Curiae Officia a Romanis Pontificibus, Decessoribus Nostris, erecta atque instituta, habeantur illa « Notariorum Vicarii Urbis », non sine animi nostri moerore comperimus, gravissima incommoda, unde ipsa animarum salus in grave discrimen adducitur, hac nostra praesertim tempestate oriri ex negotiis quae, cum ad Urbis Vicariatum spectent, a praedictis Notariorum Officiis agi atque expediri solent.

Sane neque decere neque prudentiae partibus plane convenire existimamus, ut ecclesiastica non levis ponderis

negotia a laicis, idque non ex mera delegatione intuitu personae collata, sed ratione officii gerantur; praesertim cum nequeat in omnibus ea, qua est opus, rerum ecclesiasticarum sacrorumque canonum peritia praesumi.

Illud vero gravius accedit, quod fere contingit in conficiendis actis, quae ex Ecclesiae lege debent matrimonio celebrando praeire. Nam neque adeuntibus, matrimonii causa, locus est aptus, in quem propter civilia quoque multi conveniunt, ita ut haud facile liceat sine arbitris esse; nec profana ipsa munus gerentium conditio ad necessariam contrahentium testiumque fidem sibi plane conciliandam satis accommodata. Quo saepe fit, ut occultiora quaedam, ceteroquin de iure aperienda, cum gravi fidelium detrimento atque irriti efficiendi matrimonii periculo reticeantur.

At omnium maximum incommodum recenseri oportet, unde non modo detrimenta plurima, sed etiam quaerimoniae frequentissimae edi solent. Emolumenta enim seu taxae pro exarandis actis matrimonio celebrando ex iure necessariis ab iis, qui eisdem Officiis administrandis praesunt, sic exigi dicuntur, ut ne eorum quidem, qui inopia laborent, aequa ratio habeatur. Quo fit, ut matrimonio christiano in contemptionem adducto, in tanta morum corruptela, turpissimi concubinatus lues, cum manifesto aeternae salutis periculo, in dies augeatur [1].

[1] Aliquanto post, disquisitione totius rei ad Notarios pertinentis, iussu Pontificis facta per Commissionem ab Ipso institutam,

Quae cum ita sint, iniunctae Nobis Apostolicae servitutis debitum minime patitur ut perniciosa haec rerum conditio diutius perseveret: quin immo postulat, ut submovendis, quae attigimus, incommodis ac damnis omnino animum adiiciamus.

Nos igitur istis aliisque gravissimis et rationabilibus causis Nobis notis adducti, *motu proprio*, ex certa scientia, matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, a memoratis Officiis Notariorum Vicarii Urbis atque ab eorumdem titularibus seu detentoribus facultatem ac potestatem omnem exarandi acta quaelibet ad Vicariatum Urbis de iure vel occasione extraordinariae delegationis spectantia, sive matrimonium respiciant, sive causas Beatificationis aut Canonizationis Servorum Dei, sive Sacras Clericorum Ordinationes, sive attestationes et authenticationes circa statum personarum, sive quaevis alia negotia materiam ecclesiasticam quomodolibet attingentia, una cum suis emolumentis, seu taxis, iuribus aliisque proventibus, praerogativis, honoribus, privilegiis, vi praesentium Litterarum penitus revocamus ac perpetuo adimimus. Quamobrem a die, qua hae Litterae datae sunt, quae hactenus fuere Notariorum Officia circa memorata negotia, iam ne habeantur in posterum tamquam Officia Vicariatus Urbis. Si quid vero ab iisdem Officiis Nota-

id consecutum est ut Eminentissimus Cardinalis in Urbe Vicarius litteras ad illos mandato eiusdem Pontificis dederit, in quibus, praeter cetera, *Notariorum emeritorum* titulo honestati sunt.

riorum, aut eorum nomine ac mandato actum deinceps fuerit circa eadem negotia, ea irrita et nullius roboris esse ac perpetuo fore vi praesentium Litterarum declaramus atque decernimus.

Verum quae supra constituimus ac sancivimus non eiusmodi esse censenda sunt, ut ullum praeiudicium afferant iuribus seu facultatibus eorum, qui hactenus Officia Notariatus Vicarii Urbis detinebant, in ceteris negotiis mere civilibus et ad Urbis Vicariatum nullimode pertinentibus. Insuper si forte alicuius indemnitati prospiciendum sit, excipiendis petitionibus, cognoscendisque rationibus peculiarem coetum ex Romanae Curiae praelatis Aloysio Pericoli et Philippo Giustini, nec non ex eiusdem Curiae Advocatis Carolo Santucci et Caesare Guidi compositum constituimus. Cui vero coetui mandamus, ut, omni iudiciali forma remota, a singulis deducta mature perpendat Nobisque de omnibus referat, ut apte congruenterque providere possimus.

Motu pariter proprio omnia et singula praefata negotia atque acta ad Vicariatum Urbis pertinentia, sic revocata ac perpetuo adempta ab ante dictis Notariatus Officiis eorumque titularibus seu detentoribus, vi praesentium Litterarum ad Secretariam Vicariatus Urbis avocamus, et apposito proprioque Officio, quod constet ex Cancellario, Vice-Cancellario ac duobus actuariis seu scriptoribus, ex clero omnibus et singulis per Nostrum Urbis Vicarium electis, in eiusdem Secretariae aedibus agenda, exercenda atque expedienda committimus, Nobis reser-

vata confirmatione Capitulorum seu Statutorum, quae ex mandato nostro redigentur a Vicario Urbis, quo in praefata Secretaria negotiorum omnium administratio, cura et expeditio rectius promptiusque procedant.

Eodemque tempore expresse statuimus ac mandamus ut acta omnia, quae matrimonii celebrationem praecedant oportet, absque ullo emolumentorum seu taxarum onere, nullaque habita ratione quoad postulantium seu contrahentium conditionem, gratis omnino, pro omnibus, ea, qua par est, sollicitudine ac diligentia fiant atque expediantur.

Decernentes pariter, easdem praesentes Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod dictorum Notariatus Officiorum possessores et alii quilibet, quorum forte interesse possit, aut qui forte id sibi vindicent, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae aut quorum intersit, consensus, aliove quolibet etiam quamtumvis magno, formali, inexcogitato et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quemquam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas et

efficaces esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat et spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quosque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam a latere legatos aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus f. r. Alexandri VI, Syxti V, Pii VI et Pii VII aliorumque Romanorum Pontificum Decessorum nostrorum constitutionibus, indultis et gratiis, supra dictis Notariatus Officiis, eorumque titularibus seu detentoribus, quomodolibet concessis; nec non nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis desuper in genere vel in specie editis, quibuscumque etiam quamtumvis efficacissimis clausulis et Decretis etiam irritantibus roboratis, ac alias in contrarium praedictorum quomodolibet concessis, confirmatis ac innovatis; quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac

si de verbo ad verbum, nil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praedictorum effectum hac vice dumtaxat motu et potestatis plenitudine similibus derogamus ac derogatum esse volumus et decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die v Aprilis MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

ALVMNIS SEMINARII ORIENTALIS BERYTENSIS

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nos vero delectati sumus communi epistola vestra: declarat enim amantissimis verbis, qua mente et quo animo observare et colere cum Nos privatim, tum omnium parentem Ecclesiam consueveritis. Itaque multum vos amamus de tali pietate: quam sane hoc etiam amplectimur libentius facimusque pluris, quod cum studio bene merendi, ut est in alumnis sacri ordinis consentaneum, videmus coniunctam. Siquidem officii memores, nec obliti virtutis avitae, de vobis ipsi spondetis, ex ista religionis artiumque optimarum sede aliquando digressos, utique daturos sollerter operam provehendae civium vestrorum saluti, consiliaque Nostra pro viribus persecuturos. Nos quidem certe, si oculos in Orientem paterna cum caritate coniecimus, clericorum virtute operaque plurimum fidentes coniecimus. Quamobrem omnino studete in excellenti pro-

posito perseverare, quod suscepistis: intereaque parate vos atque instruite, uti oportet, hoc est iis opibus vel animi vel ingenii diligentissime colligendis, quas in communem afferre fructum tempestive possitis. Divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem vobis, antistitibus, doctoribus, Apostolicam benedictionem amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Aprilis MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TIT. SANCTAE MARIAE TRANSTIBERINAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
CETERISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
FOEDERATARVM AMERICAE CIVITATVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER AC VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In amplissimo Pontificum Romanorum ordine tertios censeri Nos, quibus vicesimum quintum maximi Sacerdotii annum inire feliciter datum est, iure plane factum Nos insolens gaudemus atque, ob reverentiam Apostolicae Sedis, catholicum ubique nomen gratulatur. In hac vero gratulantium corona, etsi vox omnium grata, Foederatarum tamen Americae Civitatum Antistites ac fideles peculiari Nos iucunditate afficiunt, tum ob conditionem qua regio vestra facile plurimis antecellit, tum ob singularem amorem quo vos complectimur. — Libuit vos, dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, in communibus quas dedistis litteris, ea singulatim recordari quae per emensa Pon-

tificatus spatia, caritatis instinctu, in ecclesiarum vestrarum utilitatem perfecimus. Nobis autem, grata vice, meminisse placet multa atque varia, quae solatium a vobis toto tempore contulerunt. — Nam si munus hoc ineuntes supremi Apostolatus, haud levi Nos suavitate affecit rerum vestrarum adspectus; at modo, in eodem munere, quartum supra vicesimum praetergressi annum, profiteri cogimur suavitatem illam pristinam non obsolevisse unquam sed crevisse in dies ob praeclara catholicae rei inter vos incrementa. Quorum sane incrementorum caussa, etsi Dei numini tribuenda primum, vestrae tamen navitati etiam atque industriae est adscribenda. Prudentiae etenim vestrae hoc dandum est, quod, perspecta egregie gentium istarum indole, sic rem sapienter gesseritis, ut genus omne catholicorum institutorum apte ad necessitates atque ingenia promoveretis. — In quo illud longe maximam promeretur laudem, fovisse vos fovereque sedulo semper ecclesiarum vestrarum cum hac principe Ecclesia et Christi in terris Vicario coniunctionem. Hic namque, ut fatemini recte, totius regiminis, magisterii et sacerdotii apex est atque centrum; unde unitas exsurgit, quam Christus indidit Ecclesiae suae, quaeque potior nota est qua ab humanis quibusque sectis distinguitur. Cuius quidem regiminis ac magisterii influxus saluberrimus, sicut nulli per Nos gentium defuit; ita vobis populisque vestris nunquam permisimus desiderari. Enimvero opportunitatem omnem libenter captavimus, quo vobis et rei sacrae apud vos curarum Nostrarum constantiam testaremur. Diuturno autem

experimento fateri cogimur, vobis efficientibus, eà Nos docilitate mentium et animorum alacritate praeditos vestrates reperisse, quae omnino par fuerat. Quamobrem, dum ceterarum fere gentium, quae, longo aetatum cursu, catholicis utuntur sacris, conversio atque inclinatio moerorem indunt; ecclesiarum vestrarum status, florenti quadam iuventa, hilarat animos iucundissimeque tangit. Utique, nullus vobis a civili regimine ex lege favor; reipublicae tamen moderatoribus ea laus profecto obvenit, quod vos libertate iusta nullo modo prohibent. Secundo igitur tempore ad agendum strenue vobis catholicoque agmini utendum est, ut, contra gliscentes errores orientesque absurdarum opinionum sectas, veritatis lumen quam latissime proferatis. Equidem non latet Nos quantam quisque vestrum, Venerabiles Fratres, scholis ac gymnasiis sedulitatem praestet sive instituendis sive provehendis ad rectam puerorum institutionem. Apostolicae Sedis hortationibus et Concilii Baltimorensis legibus id plane congruit. Congruit porro cleri spei augendae ac dignitati amplificandae egregia, quam sacris seminariis impenditis opera. Quid plura? Eis, qui dissident, edocendis et ad veritatem trahendis consuluistis sapienter, doctos probosque e clero viros destinantes, qui regiones circumquaque peragrent, ac publice, sive in templis sive aliis in aedibus, familiari veluti sermone coronam alloquantur enodentque obiectas difficultates. Egregium plane institutum, ex quo fructus uberes iam novimus percipi. Nec miseras interea nigritarum atque indorum sortes caritas vestra praeterit; nam, missis fidei

magistris largaque ope adtributa, aeternae ipsorum saluti prospicitis studiosissime. Haec omnia laeto animo prosequi meritaque honestare commendatione libet, ut, si cui est opus, stimulos ad audendum addamus. — Demum, ne gratae voluntatis praetereamus officium, ignorare vos nolumus qua affecti simus delectatione ob largitatem, qua gens vestra Sedis Apostolicae angustiis, submissa stipe, ire suppetias nititur. Magnae reapse multaeque urgent necessitates, quibus, ad propellenda damna fidemque tutandam, Christi Vicarium utpote summum Ecclesiae Pastorem ac Patrem, prospicere opus est. Quare et largitas vestra in fidei exercitationem ac testimonium recidit.

His de omnibus caussis benevolentiam Nostram iterum vobis atque iterum profiteri libet. Eius autem sit pignus itemque munerum divinorum auspicium Apostolica benedictio, quam vobis universis et gregi cuique vestrum credito amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Aprilis MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

PETRO ARCHIEPISCOPO PETRAEO

EIDEMQVE APVD SYRIAM DELEGATO APOSTOLICO

BERYTVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Adventui in Urbem, quam vehementi studio cogitare te scribis, iucundiorem nuncium praemittere non poteras, quam qui per epistolam tuam officii atque amoris plenam afferebatur. Quae enim de sollemnibus aperis apud vos habitis ad gaudia effundenda Iubilaei Nostri Pontificalis, ea profecto singulari quadam delectatione cognovimus. Nam si magnam Nos voluptatem e publicis catholicarum civitatum celebritatibus percipiendam censemus, quippe multum inde proficit et pietas et observantia in augustam Cathedram Petri, at longe maioribus laetitiis efferimur, quum tanta haec obsequii argumenta eorum oculis proponi conspicimus, quibus aut nullum fidei lumen affulget, aut plena Nobiscum consensio de religione non est. Quam ad rem illud non esse praetermittendum existimamus, ut

desideratissimos tuarum regionum populos iterum iterumque ad amplectendam Romanae Sedis unitatem hortemur: paternum Nos animum fovere iidem recogitent, summaque Nos benevolentia in eorum expectatione manere. Gratam interea voluntatem de officiis vestris humanissimis ac de petriana stipe praebentes, uberem copiam divinorum munerum ecclesiae vestrae adprecamur, benedictionemque Apostolicam tibi ac fidelibus tuis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Aprilis MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

LITTERAE CIRCVLARES

—

Reverendissime Domine,

Ad fovendum in christiano populo pietatis studium erga divinum Spiritum Ssmus Dñus Noster Leo PP. XIII die IX Maii anno MDCCCLXXXXVII ad universos episcopos, uti nosti, Litteras dedit encyclicas *Divinum illud munus*, apostolicae caritatis sapientiaeque plenas.

Plura in ipsis Beatissimus Pater de mysterio Trinitatis augustae, ac praesertim de praesentia et virtute mirifica Spiritus Sancti opportune edocuit: tum omnes e clero, nominatimque concionatores sacros animarumque curatores maiorem in modum hortatus est, ut quae ad Spiritum Sanctum pertinent, diligentius atque uberius christiano populo traderent. Quo magis enim excitetur vigeatque in animis de Ipso fides, eo facilius christiani homines assuescent divinum Paraclitum, *altissimi donum Dei*, et amare ardentius et impensius implorare. — Adventantibus insuper sacrae Pentecostes sollemnibus, Summus ipse Pontifex per easdem litteras decrevit et mandavit

ut per orbem catholicum universum supplicatio novendialis in omnibus curialibus templis, et, si Ordinariis locorum utile videretur, in aliis etiam templis sacrariisve fieret. Plura demum de thesauro Ecclesiae benigne in perpetuum largitus est sacrae indulgentiae munera, etiam per octavam Sollemnitatis a fidelibus lucranda.

Iamvero Sanctitas Sua vehementer exoptat ut quae tunc, monendo hortandoque, edixit, ea in omnium animis, diligenti Cleri operâ, et viva insideant, et perennes uberesque ad maiorem divini Spiritus gloriam afferant salutariter fructus. Hanc ipsam ob causam exemplar earumdem Litterarum, iussu eiusdem Beatissimi Patris, ad Te unâ mitto. — Quoniam vero decursu temporis, ut alicubi accidisse constat, a nonnullis existimatum est, decretum de ea novendiali supplicatione, ad supra dictum tantummodo annum MDCCCLXXXXVII spectasse, magni refert ut sit apprime cognitum, quae in memoratis litteris sunt praescripta, tum de eadem supplicatione tum de sacrae indulgentiae muneribus, pro singulis in perpetuum annis sancita fuisse. — Quam quidem novendialem supplicationem eo magis Summus Pontifex vult omnibus enixe commendatam, quod ad finem sane praestantissimum, scilicet *ad maturandum christianae unitatis bonum,* de quo tantopere sollicita est Sanctitas Sua, eam ipsam praecipue ordinaverit.

Haec habui quae mandato augusti Pontificis Amplitudini Tuae perscriberem. Ipsa vero Sanctitas Sua spem certam fovet, Episcoporum hac etiam in re navitatī et industriae alacritatem Cleri, Deo bene iuvante, responsuram.

Interim Amplitudini Tuae fausta cuncta ex animo adprecor.

Romae, ex Secretaria SS. Rituum Congregationis. die XVIII Aprilis MDCCCCII.

Amplitudinis Tuae

uti Frater addictissimus
D. CARD. FERRATA S. R. C. PRAEFECTVS.

D. PANICI ARCHIEP. LAODICEN. S. R. C. *Secretarius.*

DECRETVM

DE NOVA DESCRIPTIONE LIMITVM INTER DIOECESES MARIANNENSEM ET DE POUSO ALEGRE IN BRASILIANA REPVBLICA

—

Cum Sanctissimi Domini Leonis Papae XIII Apostolica auctoritate Consistoriale Decretum super erectione novae dioecesis de Pouso Alegre in Brasiliana Republica, datum sub die IV Augusti anno MDCCCC editum fuisset, in quo novae dioecesis limites expresse assignati fuere, R. P. D. Silverius Pimenta Episcopus Mariannensis actu existens, super designatione finium dioecesis de Pouso Alegre, Mariannensi dioecesi conterminae, nonnullis expositis incommodis, et difficultatibus obiectis, a Sanctitate Sua demisse postulavit, ut quoad designatos fines inter utramque dioecesim immutationes quasdam locorum, naturae, et utriusque dioecesis bono magis respondentes, ac mutuo consensu utriusque Episcopi admissas et probatas, auctoritate Apostolica ratas habere ac decernere dignaretur.

In hunc finem litteras iidem Episcopi ad Sanctitatem Suam miserunt die XXIII Februarii hoc anno datas, in quibus dictae immutationis expressam formam accurate ac submisse exhibuere, et authentica forma mutuaque sub-

scriptione sese in conventionem, ut infra initam, sponte ac plene consentire declararunt. — Sanctitas Sua, rebus omnibus, quae spectandae erant, mature perpensis et Apostolici Nuntii suffragatione in hac re libenter excepta, oblatis utriusque Episcopi precibus benigne annuendum censuit, ac propterea derogatione facta Consistoriali decreto die IV Augusti anno MDCCCC edito in ea parte quae descriptionem finium dioecesis de Pouso Alegre respicit, atque abrogato, quoad hanc partem, peractae superiori tempore executionis effectu, Apostolica auctoritate decrevit, ut exhinc discriminatrix linea inter dioecesim Mariannensem et de Pouso Alegre, ab origine Rivi vulgo Barulho incipiat, per hunc ad amnem Turvo Grande appellatum declinet, et per huius cursum ad flumen vulgo Rio Grande dictum descendat, ita ut ad dioecesim Mariannensem totum territorium pertineat, quod dextrorsum patet, dioecesis vero de Pouso Alegre territorium, quod sinistrorsum protenditur, complectatur; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

In Executorem autem huius Decreti perinde valituri ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, Sanctitas Sua R. P. D. Iosephum Macchi Archiepiscopum Thessalonicensem in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum deputavit, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam ad effectum de quo agitur, nec non cum facultate eidem, sive eius subdelegando definitive pronunciandi super quacumque opposi-

tione adversus praemissa quomodolibet oritura; iniuncta eidem obligatione mittendi intra sex menses authentica peractae executionis documenta; iussitque praesens Decretum expediri et inter Acta referri Sacrae Congregationis Consistorialis.

Datum Romae die XXV Aprilis, anno Domini MDCCCCII.

† Carolvs Patriarcha Constantinopolitanvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS

ANTONIO IOSEPHO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GRVSCHA

ARCHIEPISCOPO VIENNENSI

GEORGIO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP

EPISCOPO VRATISLAVIENSI

LEONI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DE SKRBENSKY

ARCHIEPISCOPO PRAGENSI

IOANNI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI PUZYNA

EPISCOPO CRACOVIENSI

CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS AVSTRIAE

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod votis decessorum vestrorum, multorumque annorum operâ praeparatum, absolutionem tamen perfectionemque ad haec usque tempora desideravit, maximo nunc cum gaudio nunciatis properare feliciter ad exitum. Nam sunt fere in promptu praesidia ad catholicam Studiorum Universitatem condendam, unusque est omnium vestrum consensus posse iam admoveri manus ad magnum illud Lyceum constituendum, cuius mansit quidem longior, quam

debuit, expectatio, at opportuna item et apta ratio succrevit. Quapropter ad consilia vestra, quae ipsa per se commendantur, libentes Nos et approbantes accedimus, atque illud vobis apertum demonstratumque volumus, omnem Nos iucunditatem ex allato nuncio percepisse, quippe comparari ubique et amplificari illustria et sancta studiis domicilia, summopere gaudemus. Hanc autem animi Nostri sententiam voluptatemque in id etiam declaramus, ut addatur fidelibus vestris, ut par est, incitamentum, quo rem tantam ac tam salubrem alacriore voluntate maturent, opemque conferendo perficiant. Cetera, sollertiae vestrae, uti semper, confidimus, nihilque dubitamus de eorum liberalitate et consensione, quorum commodo expetita existit Universitas. Quae autem ad hoc tale Lyceum pertinere existimantur, ubi primum erunt omnia instructa ac parata, rem Nobis patefaciendam esse volumus per sacram studiis regendis Congregationem; haec enim in id munus incumbit ut et statum Nobis negotiorum id genus exponat, et mandata potestate utatur scholarum catholici nominis ad Sacros Canones constituendarum.

Mentem interea Nostram laetam ac benevolentem unicuique vestrum testamur; caelestiaque suscepto operi munera adprecantes, benedictionem Apostolicam vobis omnibus impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Aprilis MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

DECRETVM

DE VOTIS SIMPLICIBVS VOTIS SOLEMNIBVS A MONIALIBVS PRAEMITTENDIS

—

Perpensis temporum adiunctis, attentisque peculiaribus casibus, qui ad Sanctam Sedem haud raro deferuntur, nec non postulatis sacrorum Antistitum, visum est huic sacrae Congregationi Eminentissimorum ac Reverendissimorum Patrum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae non esse ulterius cunctandum super quaestione iampridem proposita: an scilicet et quomodo expediat praescribere, ut in sanctimonialium monasteriis, in quibus solemnia vota nuncupantur, praemittantur solemnibus vota simplicia ad certum tempus duratura. Re itaque mature perpensa ac discussa, in conventu plenario habito in aedibus Vaticanis die XIV Martii MDCCCCII, praefati Emi ac Rmi Patres S. R. E. Cardinales censuerunt: supplicandum esse *Ssmo Domino Nostro Leoni Divna Providentia PP. XIII,* ut ad moniales votorum solemnium extendere dignaretur, iuxta congruum modum, ea quae salubriter constituta fuerunt a fel. rec. Pio PP. IX pro religiosis virorum familiis, per encyclicas

litteras sacrae Congregationis super Statu Regularium, incip. *Neminem latet,* datas die XIX Martii MDCCCLVII, et per litteras sub anulo Piscatoris, incip. *Ad universalis Ecclesiae regimen,* datas die VII Februarii MDCCCLXII, cum subsequutis respective declarationibus.

Porro *Sanctitas Sua,* in Audientia habita ab infrascripto Cardinali praedictae sacrae Congregationis Praefecto die III Maii MDCCCCII, audita de praemissis relatione, sententiam praelaudatorum Patrum Cardinalium probavit, mandavitque per huiusmet sacrae Congregationis decretum edici praescriptionum capita, quae infra scripta sunt, perpetuo inviolateque servanda:

I.

In omnibus et singulis sanctimonialium monasteriis cuiuscumque Ordinis seu Instituti, in quibus vota solemnia emittuntur, peracta probatione et novitiatu ad praescriptum sacri Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et legum Ordinis seu Instituti a Sancta Sede approbatarum, novitiae vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Concilio Tridentino statutam vel aliam maiorem, quae forsan a constitutionibus proprii Ordinis vel Instituti a Sancta Sede approbatis requiratur.

II.

Huiusmodi professae, post expletum triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si dignae

reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur: sublata cuilibet potestate hac super re dispensandi, ita nempe ut si qua, non exacto integro triennio, ad professionem solemnem, quacumque ex causa, admitteretur, professio ipsa irrita prorsus foret ac nullius effectus.

III.

Firma tamen in suo quaeque robore manere declarantur indulta a Sancta Sede iam impertita, quorum vi, nonnullis in locis seu Institutis, professio votorum simplicium ad longius tempus emitti possit.

IV.

Praeterea ex iustis et rationabilibus causis, de quibus tum monasterii Superiorissa tum novitiarum Magistra fidem scripto facere debent, poterit Ordinarius pro monasteriis suae iurisdictioni subiectis et Superior Generalis seu Provincialis pro monasteriis, quae exemptionis privilegio gaudent, indulgere, in casibus particularibus, ut professio votorum solemnium differatur, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum.

V.

Vota simplicia, uti praefertur, emissa perpetua sunt ex parte voventis; et dispensatio super iisdem Romano Pontifici reservatur.

VI.

Professae istiusmodi votorum simplicium fruuntur et gaudent iisdem indulgentiis, privilegiis et favoribus spiritualibus, quibus legitime fruuntur et gaudent professae votorum solemnium proprii cuiusque monasterii; et quatenus morte praeveniantur ad eadem respective suffragia ius habent.

VII.

Eaedem tenentur ad observantiam regularum et constitutionum non secus ac solemniter professae; itemque tenentur choro interesse: quatenus vero legitime impediantur quominus choro intersint, ad privatam officii divini recitationem non obligantur.

VIII.

Tempus a constitutionibus cuiuslibet Ordinis seu Instituti praescriptum ad *vocem activam* et *passivam* assequendam a die emissionis votorum simplicium computatur: verumtamen professae votorum simplicium nunquam suffragium, imo ne locum quidem habebunt in capitulis in quibus et quatenus agitur de admittendis ad professionem solemnem; eaeque deputari quidem poterunt ad minora coenobii officia; sed ad munia Superiorissae, Vicariae, Magistrae novitiarum, Assistentis seu Consiliariae, et Oeconomae eligi nequeunt.

IX.

Potiores iure, utpote seniores, censentur quae prius vota simplicia nuncupaverint; ita tamen ut quaecumque, iuxta superius dicta, professionem solemnem ultra triennium distulerint, loco interim cedant etiam iunioribus solemniter professis, recepturae iterum iura ratione prioris professionis quaesita ubi primum vota solemnia et ipsae emiserint.

X.

Dos pro quolibet monasterio statuta tradenda est ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium.

XI.

Professae votorum simplicium retinent *radicale* suorum bonorum dominium, de quo definitive disponere non poterunt, nisi intra duos menses proxime praecedentes professionem solemnem, ad normam sacri Concilii Tridentini *Sess.* XXV, *de Regular. et Monial., cap.* XVI. – Omnino vero interdicta ipsis est eorumdem bonorum administratio, nec non quorumcumque redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini seu

monasterio, quatenus ex huius parte nihil obstet et ipsae plena libertate id opportunum existimaverint. — Quod si durante tempore votorum simplicium alia bona legitimo titulo eis obvenerint, eorum quidem dominium radicale acquirunt, sed administrationem, usumfructum et usum cedere quamprimum debent ut supra, servata etiam lege non abdicandi dominium radicale nisi intra duos menses proximos ante professionem solemnem.

XII.

Ad dimittendas e monasterio praefatas votorum simplicium professas, recurrendum erit, in singulis casibus, ad Sanctam Sedem, distincte exponendo graves causas, quae dimissionem suadere seu exigere videantur.

XIII.

Sorori professae votorum simplicium a monasterio discedenti, sive ob votorum dispensationem a Sancta Sede Apostolica impetratam, sive ob decretum dimissionis ut supra emissum, restituenda erit integra dos quoad sortem, exclusis fructibus.

Igitur haec sacra Congregatio de expressa Apostolica auctoritate, praesentis decreti tenore, quaecumque superius praescripta, declarata ac sancita sunt, ab omnibus, ad quos seu quas spectat, ex obedientiae praecepto ser-

vari et executioni demandari districte iubet, non obstantibus contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, quibus ad praemissorum effectum a *Sanctitate Sua* specialiter et plene derogatum esse declarat.

Datum Romae, die III Maii MDCCCCII.

Fr. H. M. Card. GOTTI, Praefectvs.

Ph. Givstini, *Secretarius.*

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
FRANCISCO IOSEPHO ARCHIEPISCOPO MONACENSI ET FRISINGENSI
CETERISQVE BAVARIAE EPISCOPIS
MONACHIVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Bavariae episcopos, quemadmodum semper novimus suae ipsorum Ecclesiae vehementer sollicitos, ita etiam amoris ac venerationis laude adversus Apostolicam Sedem maiorem in modum instructos reperimus. Quae animorum vestrorum praeclara ornamenta, si nullo non tempore sunt patefacta, hisce tamen diebus mirifice colluxerunt, quum per eam sensuum significationem fuerint relata atque expressa quam, e conventu vos discessuri Eystadii habito, exhibendam Nobis duxistis. Nimirum celebritas haec Iubilaei Nostri Pontificalis, perrara illa quidem maiorisque idcirco laetitiae procreatrix, mentes vestras tenet admiratione affectas et gaudio, easque ad gratias Deo persolvendas atque ad eximia nuncupanda vota compellit. Sed

enim illud quoque gaudium studia vestra praesenserunt, quod comparari iam a benignissimo Deo animo Nostro videtur, ob episcopatus annos auctos Nobis tali dierum accessione, quam expectare nemo aut praecipere potuit. Quod si nova atque ampliora divinae dilectionis indicia Nos manent, haec sane summa Dei Providentia largiatur, at Ecclesiae bono vertat eadem fideliumque solatio. Dum autem lectissima quaeque munera enixe vobis a Domino adprecamur, memoria vos et gratia prosequi non desinimus, qui. pietate demonstrata, clarum etiam ac iucundissimum Nobis obsequium praestitistis. Auspex vero divinorum donorum sit Apostolica benedictio, quam unicuique vestrum, iisque omnibus qui in Bavariae regno praesunt vel parent, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Maii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQVE LOCORVM ORDINARIOS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTES

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Mirae caritatis in hominum salutem exempla, quae a Iesu Christo praelucent, Nos quidem pro sanctitate officii inspicere et persequi adhuc studuimus, ad extremumque vitae spiritum, ipso opitulante, studebimus. Nam tempora nacti nimis acriter veritati et iustitiae infensa, quantum erat in Nobis, docendo, admonendo, agendo, prout nuperrima ad vos epistola Apostolica confirmavit, nequaquam intermisimus ea late praestare, quae sive ad multiplicem errorum contagionem depellendam, sive ad nervos intendendos christianae vitae aptius conducere viderentur. In his autem duo sunt recentioris memoriae, omnino inter se coniuncta, unde Nosmetipsi opportunae consolationis fructum, tot prementibus aegritudinis causis, recolendo

percipimus. Alterum, quum optimum factu censuimus augusto Cordi Christi Redemptoris universitatem humani generis peculiari ritu devoveri; alterum, quum omnes christianum nomen profitentes gravissime hortati sumus, ut Ei ipsi adhaererent, qui vel singulis vel iure sociatis *via, veritas, vita* divinitus est. — Nunc vero eâdem ipsa, advigilante in Ecclesiae tempora, Apostolica caritate movemur ac prope impellimur ut aliud quiddam ad ea proposita iam confecta tamquam perfectionem suam addamus, ut videlicet christiano populo maiorem in modum commendemus sanctissimam Eucharistiam, quippe donum divinissimum ex intimo plane Corde prolatum eiusdem Redemptoris, *desiderio desiderantis* singularem huiusmodi cum hominibus coniunctionem, maximeque factum ad saluberrimos fructus redemptionis eius dilargiendos. Quamquam in hoc etiam rerum genere nonnulla vel antehac Nos auctoritate et studio curavimus. Iucundumque memoratu est inter cetera legitimâ Nos comprobatione ac privilegiis auxisse Instituta et Sodalitia non pauca, divinae Hostiae perpetua vice adorandae addicta; operam item dedisse ut conventus eucharistici digna cum celebritate parique utilitate haberentur; iisdem praeterea similisque causae operibus patronum caelestem attribuisse Paschalem Baylon, qui mysterii eucharistici cultor extitit insigniter pius. — Itaque, Venerabiles Fratres, de hoc ipso mysterio in quo tuendo illustrandoque constanter tum Ecclesiae sollertia, non sine praeclaris Martyrum palmis, elaboravit, tum praestantissimorum hominum doctrina, eloquentia, variaeque

artes splendide contenderunt, libet capita quaedam alloquendo complecti; idque ut apertior atque expressior patescat eiusdem virtus, qua maxime parte se dat praesentissimam hisce necessitatibus temporum allevandis. Sane, quandoquidem Christus Dominus sub excessum mortalis cursus istud reliquit caritatis immensae in homines monumentum, idemque praesidium maximum *pro mundi vita* [1], nihil Nobis de vita proxime cessuris optare felicius possumus quam ut liceat excitare in omnium animis atque alere memoris gratiae debitaeque religionis affectum erga Sacramentum mirabile, in quo salutis et sollicitis pacis omnium studiis quaesitae, spem atque efficientiam maxime niti arbitramur.

Quod saeculo, usquequaque perturbato et laboranti tam misere, talibus Nos remediis adiumentisque ducimus praecipue consulendum, non deerunt sane qui demirentur, et fortasse qui dicta Nostra procaci cum fastidio accipiant. Id nempe est potissimum a superbia: quo vitio animis insidente, elanguescat in iis christiana fides, quae obsequium vult mentis religiosissimum, necesse est, atque adeo caligo de divinis rebus tetrius incumbat; ut in multos illud cadat: *Quaecumque ignorant, blasphemant* [2]. Iam vero tantum abest ut Nos propterea ab inito avocemur consilio, ut certum sit contentiore potius studio et recte

[1] Ioann. VI, 52.

[2] Iudae 10.

animatis lumen afferre et sancta vituperantibus veniam a Deo, fraterna piorum imploratione, exorare.

Sanctissimae Eucharistiae virtutem integra fide nosse qualis sit, idem enimvero est ac nosse quale sit opus quod humani generis causâ Deus, homo factus, potenti misericordia perfecit. Nam ut est fidei rectae Christum profiteri et colere summum effectorem salutis nostrae, qui sapientia, legibus, institutis, exemplis, fusoque sanguine omnia instauravit; aeque est eumdem profiteri colere sic in Eucharistia reapse praesentem, ut verissime inter homines ad aevi perpetuitatem ipse permaneat, iisque partae redemptionis beneficia magister et pastor bonus, peracceptusque deprecator ad Patrem, perenni copia de semetipso impertiat. — Beneficia porro ex Eucharistia manantia qui studiose religioseque consideret, illud sane praestare atque eminere intelliget, quo cetera quaecumque sunt continentur; ex ipsa nempe vitam in homines, quae vere vita est, influere: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* [1]. — Non uno modo, quod alias docuimus, Christus est *vita;* qui adventus sui inter homines causam professus est eam, ut afferret ipsis certam vitae plus quam humanae ubertatem: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* [2]. Statim namque ut in terris *benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei* [3], nemo quidem ignorat vim quamdam continuo erupisse ordinis rerum

[1] Ioann. VI, 52.

[2] Ioann. X, 10.

[3] Tit. III, 4.

prorsus novi procreatricem, eamque in venas omnes societatis civilis et domesticae permanasse. Novas inde homini cum homine necessitudines; nova publice et privatim iura, nova officia; institutis, disciplinis, artibus novos cursus: quod autem praecipuum, hominum animos et studia ad veritatem religionis sanctitatemque morum traducta; atque adeo vitam homini communicatam, caelestem plane ac divinam. Huc nimirum ea spectant, quae crebro in sacris litteris commemorantur, *lignum vitae, verbum vitae, liber vitae, corona vitae,* nominatimque *panis vitae.*

At vero, quoniam haec ipsa de qua dicimus vita expressam habet similitudinem cum vita hominis naturali, sicut altera cibo alitur atque viget, ita alteram sustentari cibo suo et augeri oportet. Apte hic facit revocare quo quidem Christus tempore ac modo moverit animos hominum et adduxerit ut panem vivum, quem daturus erat, convenienter probeque exciperent. Ubi enim manavit fama de prodigio quod ille, multiplicatis panibus in satietatem multitudinis, patraverat ad litus Tiberiadis, confestim plures ad ipsum confluxerunt, si forte par sibi obtingeret beneficium. Tum Iesus, opportunitate arrepta, similiter ac quum feminae Samaritanae, ab haurienda puteali aqua, sitim ipse iniecerat *aquae salientis in vitam aeternam* [1], cupidae multitudinis sic erigit mentes, ut panem alium cupidius appetant *qui permanet in vitam aeternam* [2]. Neque vero huiusmodi

[1] Ioann. IV, 14.

[2] Ib. VI, 27.

panis, instat Iesus admonere, est manna illud caeleste, quod patribus vestris per deserta peregrinantibus praesto fuit; neque ille quidem, quem ipsi nuper a me mirabundi accepistis; verum egomet sum panis iste: *Ego sum panis vitae* [1]. Idemque eo amplius suadet omnibus, et invitando et praecipiendo: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* [2]. Gravitatem porro praecepti ita ipse convincit: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [3]. — Absit igitur pervagatus ille error perniciosissimus opinantium Eucharistiae usum ad eos fere amandandum esse, qui vacui curis angustique animo conquiescere instituant in quodam vitae religiosioris proposito. Ea quippe res, qua nihil sane nec excellentius nec salutarius, ad omnes omnino, cuiuscumque demum muneris praestantiaeve sint, attinet, quotquot velint (neque unus quisquam non velle debet) divinae gratiae in se fovere vitam, cuius ultimum est adeptio vitae cum Deo beatae.

Atque utinam de sempiterna vita recte reputarent et providerent ii potissimum, quorum vel ingenium vel industria vel auctoritas tantopere possunt ad res temporum atque hominum dirigendas. At vero videmus deploramusque

[1] Ioann. VI, 48.

[2] Ib. 52.

[3] Ib. 54.

ut plerique cum fastu existiment se novam veluti vitam eamque prosperam saeculo indidisse, propterea quod ipsum ad omne genus utilia et mirabilia inflammato cursu contendere suo impulsu urgeant. Sed enim, quocumque aspexeris, humana societas, si a Deo aliena, potius quam quaesitâ fruatur tranquillitate rerum, perinde angitur et trepidat ut qui febri aestuque iactatur; prosperitati dum anxie studet eique unice fidit, fugientem sequitur, inhaeret labenti. Homines enim et civitates ut necessario ex Deo sunt, ita in alio nullo vivere, moveri, efficere boni quidquam, nisi in Deo per Iesum Christum queunt; per quem late profluxerunt et profluunt optima quaeque et lectissima. — Sed horum omnium fons et caput bonorum est potissimum augusta Eucharistia: quae quum eam alat sustentetque vitam cuius ex desiderio tam vehementer laboramus, tum dignitatem humanam quae tanti nunc fieri videtur, immensum auget. Nam quid maius aut optabilius, quam effici, quoad eius fieri possit, divinae participem consortemque naturae? At enim hoc nobis Christus praestat in Eucharistia maxime, qua evectum ad divina, gratiae munere, hominem arctius etiam sibi adiungit et copulat. Id enim interest inter corporis cibum et animi, quod ille in nos convertitur, hic nos in se convertit; qua de re Christum ipsum Augustinus loquentem inducit: *Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me* [1].

[1] Conf. l. VII, c. X.

Ex hoc autem praecellentissimo Sacramento, in quo potissime apparet quemadmodum homines in divinam inseruntur naturam, iidem habent in omni supernarum virtutum genere incrementa maxima. Et primum in fide. Omni quidem tempore fides oppugnatores habuit; nam etsi hominum mentes praestantissimarum rerum cognitione extollit, quia tamen quae supra naturam esse aperuit, qualia sint celat, eo videtur mentes ipsas deprimere. Sed olim tum hoc tum illud fidei caput oppugnabatur; deinceps multo latius exarsit bellum, eoque iam perventum est ut nihil omnino supra naturam esse affirmetur. Iamvero ad vigorem fervoremque fidei in animis redintegrandum perapte est, ut nihil magis, mysterium Eucharisticum, proprie *mysterium fidei* appellatum: hoc nimirum uno, quaecumque supra naturam sunt, singulari quadam miraculorum copia et varietate, universa continentur: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se* [1]. Si Deus enim quidquid supra naturam fecit, ad Verbi retulit Incarnationem, cuius beneficio restitueretur humani generis salus, secundum illud Apostoli: *Proposuit... instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt, in ipso* [2]; Eucharistia, Patrum sanctorum testimonio, Incarnationis continuatio quaedam et amplificatio censenda est. Siquidem per ipsam incarnati Verbi substantia cum

[1] Ps. cx, 4-5.

[2] Eph. i, 9-10.

singulis hominibus copulatur; et supremum in Calvaria sacrificium admirabili modo renovatur; id quod praesignificavit Malachias: *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* [1]. Quod miraculum, unum omnium in suo genere maximum, miracula comitantur innumerabilia; hic enim omnes naturae leges intermissae: tota substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertitur; panis et vini species, nulla re subiecta, divina virtute sustentantur; corpus Christi tam multa simul loca nanciscitur, quam multis simul in locis Sacramentum perficitur. Humanae autem rationis quo magis erga tantum Mysterium intendatur obsequium, quasi adiumento suppetunt prodigia, in eiusdem gloriam, veteri memoria et nostra patrata; quorum publica exstant non uno loco eaque insignia monumenta. Hoc igitur Sacramento videmus fidem ali, mentem enutriri, rationalistarum commenta dilui, ordinem rerum quae supra naturam sunt maxime illustrari.

Sed ut divinarum rerum fides languescat, non modo superbia, quod supra attigimus, sed etiam depravatio facit animi. Nam si usu venit ut quo melius quisque est moratus, eo sit ad intelligendum sollertior, corporis autem voluptatibus mentes obtundi ipsa ethnica dispexit prudentia, divina sapientia praemonuit [2]; tanto magis in divinis rebus voluptates corporis obscurant fidei lumen, atque etiam, per iustam Dei animadversionem, exstinguunt. Qua-

[1] I, 11.

[2] Sap. I, 4.

rum quidem voluptatum insatiabilis hodie cupiditas flagrat, omnesque late tamquam contagio quaedam morbi vel a primis aetatulis inficit. Verum teterrimi huius mali praeclarum in divina Eucharistia praesto est remedium. Nam, omnium primum, augendo caritatem, libidinem coërcet; ait enim Augustinus: *Nutrimentum eius (caritatis) est imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas* [1]. Praeterea castissima Iesu caro carnis nostrae insolentiam comprimit, ut Cyrillus monuit Alexandrinus: *Christus enim exsistens in nobis sopit saevientem in nostris membris carnis legem* [2]. Quin etiam fructus Eucharistiae singularis et iucundissimus est quem significavit propheticum illud: *Quid bonum eius* (Christi) *est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* [3] videlicet sacrae virginitatis forte et constans propositum, quod, vel diffluente deliciis saeculo, latius in dies uberiusque in catholica Ecclesia florescit: quanto quidem ubique cum religionis ipsiusque humani convictus emolumento et ornamento est probe cognitum. — Accedit quod huiusmodi Sacramento spes bonorum immortalium, fiduciâ auxiliorum divinorum, mirifice roboratur. Beatitatis enim studium, quod omnium animis insitum atque innatum est, terrestrium bonorum fallaciâ, iniusta flagitiosorum hominum vi, ceteris denique corporis animique molestiis magis magisque acuitur. Iam vero augustum Eucharistiae

[1] De diversis quaestionibus LXXXIII, quaest. XXXVI.

[2] Lib. IV, c. 2 in Ioann. VI, 57.

[3] Zach. IX, 17.

Sacramentum, beatitatis et gloriae causa idem et pignus est, idque non animo tantum sed etiam corpori. Quum enim animos caelestium bonorum copiâ locupletat, tum iis perfundit suavissimis gaudiis, quae quamlibet hominum aestimationem et spem longe superent; in adversis rebus sustentat, in virtutis certamine confirmat, in vitam custodit sempiternam, ad eamque tamquam instructo viatico perducit. Corpori autem caduco et fluxo Hostia illa divina futuram ingenerat resurrectionem; siquidem corpus immortale Christi semen inserit immortalitatis, quod aliquando erumpat. Utrumque istud et animo et corpori bonum inde obventurum Ecclesia omni tempore docuit, Christo obsequta affirmanti: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die* [1]. — Cum re cohaeret magnique interest id considerare, ex Eucharistia, quippe quae a Christo instituta sit tamquam *passionis suae memoriale perenne* [2], christiano homini castigandi salutariter sui denunciari necessitatem. Iesus enim primis illis sacerdotibus suis: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem* [3], idest hoc facite ad commemorandos dolores, aegritudines, angores meos, meam in cruce mortem. Quapropter huiusmodi sacramentum idem et sacrificium assidua est in omne tempus poenitentiae ac maximi cuiusque laboris adhortatio, itemque voluptа-

[1] Ioann. VI, 55.

[2] S. Thomas Aquin. *opusc.* LVII: *Offic. de festo Corp. Christi.*

[3] Luc. XXII, 19.

tum, quas homines impudentissimi tantopere laudant et efferunt, gravis et severa improbatio: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* [1].

Praeter haec, si in praesentium malorum causas diligenter inquiras, ea reperies inde fluxisse, quod hominum inter ipsos caritas, caritate adversus Deum frigescente, deferbuerit. Dei se esse filios atque in Iesu Christo fratres obliti sunt; nihil, nisi sua quisque, curant; aliena non modo negligunt, sed saepe oppugnant in eaque invadunt. Inde crebrae inter civium ordines turbae et contentiones: arrogantia, asperitas, fraudes in potentioribus; in tenuioribus miseriae, invidiae, secessiones. Quibus quidem malis frustra a providentia legum, a poenarum metu, a consiliis humanae prudentiae quaeritur sanatio. Illud est curandum enitendumque, quod plus semel Ipsi fusiusque commonuimus, ut civium ordines mutua inter se concilientur officiorum coniunctione, quae a Deo profecta, opera edat germanum Iesu Christi spiritum et caritatem referentia. Hanc terris Christus intulit, hac omnia inflammari voluit, utpote quae una posset non modo animae sed etiam corpori beatitatis aliquid vel in praesens afferre: amorem enim immoderatum sui in homine compescit, et divitiarum cohibet cupiditatem, quae *radix omnium malorum est* [2]. Quamquam vero rectum est omnes iustitiae partes inter ordines

[1] I Cor. XI, 26.

[2] I Tim. VI, 10.

civium convenienter tutari; praecipuo tamen caritatis praesidio et temperamento id demum assequi licebit ut in hominum societate salutaris ea, quam Paulus suadebat, *fiat aequalitas* [1], facta conservetur. Hoc igitur Christus voluit, quum augustum hoc Sacramentum institueret, excitanda caritate in Deum, mutuam inter homines fovere caritatem. Haec enim ex illa, ut perspicuum est, suapte natura exsistit, et sua veluti sponte effunditur: neque vero fieri potest ut ulla ex parte desideretur, quin immo incendatur et vigeat oportet, si Christi erga ipsos caritatem perpendant in hoc Sacramento; in quo, ut potentiam suam et sapientiam magnifice patefecit, sic *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit* [2]. Tam insigni ab exemplo Christi, omnia sua nobis largientis, sane quantum ipsi inter nos amare atque adiuvare debemus, fraterna necessitudine quotidie arctius devincti! Adde quod vel signa ipsa, quibus huiusmodi constat Sacramentum, peropportuna coniunctionis incitamenta sunt. Qua de re sanctus Cyprianus: *Denique unanimitatem christianam firma sibi atque inseparabili caritate connexam etiam ipsa dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum: et quando sanguinem suum vinum appellat de botris atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum*

[1] II Cor. VIII, 14.

[2] Conc. Trid. sess. XIII, *De Euchar.* c. II.

significat commixtione adunatae multitudinis copulatum [1]. Similiter Angelicus Doctor ex Augustini sententia [2] haec habet: *Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis; namque aliud, scilicet panis ex multis granis in unum constat, aliud, scilicet vinum in unum ex multis acinis confluit; et ideo Augustinus alibi dicit: O Sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis* [3]. Quae omnia confirmantur Concilii Tridentini sententiâ, Christum Eucharistiam Ecclesiae reliquisse « tamquam symbolum eius unitatis et caritatis, « qua Christianos omnes inter se coniunctos et copula- « tos esse voluit.... symbolum unius illius corporis, cuius « ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctis- « simâ fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse « voluit » [4]. Idque edixerat Paulus: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* [5]. Illud enimvero pulcherrimum ac periucundum est christianae fraternitatis aequalitatisque socialis specimen, promiscue ad sacra altaria circumfundi patritium et popularem, divitem et pauperem, doctum et indoctum, eiusdem aeque participes convivii caelestis. — Quod si merito in Ecclesiae fastis hoc primordiis eius vertitur

[1] Ep. 69, ad Magnum n. 5 (al. 6).

[2] Tract. XXVI, in Ioann. n. 13, 17.

[3] *Summa theol.* III p. q. LXXIX, a. 1.

[4] Sess. XIII, *De Euchar.* c. II.

[5] I Cor. X, 17.

propriae laudi quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una* [1]; sane eos tam eximium bonum debuisse consuetudini mensae divinae, obscurum non est; de ipsis enim commemoratum legimus: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et in communicatione fractionis panis* [2]. — Mutuae praeterea inter vivos caritatis gratia, cui a Sacramento eucharistico tantum accedit roboris et incrementi, Sacrificii praesertim virtute ad omnes permanat qui in sanctorum communione numerantur. Nihil est enim aliud sanctorum communio, quod nemo ignorat, nisi mutua auxilii, expiationis, precum, beneficiorum communicatio inter fideles vel caelesti patria potitos vel igni piaculari addictos vel adhuc in terris peregrinantes, in unam coalescentes civitatem, cuius caput Christus, cuius forma caritas. Hoc autem fide est ratum, etsi soli Deo Sacrificium augustum offerri liceat, tamen etiam honori Sanctorum in caelis cum Deo regnantium, *qui illos coronavit,* celebrari posse ad eorum patrocinium nobis conciliandum atque etiam, ut ab Apostolis traditum, ad labes fratrum abolendas, qui iam in Domino mortui, nondum plane sint expiati. — Sincera igitur caritas quae, in salutem utilitatesque omnium, omnia facere et pati assuevit, prosilit nempe ardetque actuosa ex sanctissima Eucharistia, ubi Christus adest ipse vivus, ubi suo erga nos amori vel maxime indulget divinaeque impulsus caritatis impetu suum perpetuo sacrificium instau-

[1] Act. IV, 32.

[2] Act. II, 42.

rat. Ita facile apparet undenam hominum apostolicorum ardui labores, unde tam multae variaeque apud catholicos institutae benemerendi de humana familia rationes sua ducant auspicia, vires, constantiam, felicesque exitus.

Haec, pauca quidem in re perampla, minime dubitamus quin abunde frugifera christiano gregi accidant, si operâ vestra, Venerabiles Fratres, sint opportune exposita et commendata. At vero tam magnum et virtute omni affluens Sacramentum nemo satis unquam, proinde ac dignum est, nec eloquendo laudaverit, nec venerando coluerit. Ipsum sive pie mediteris, sive rite adores, sive eo magis, pure sancteque percipias, tamquam centrum existimandum est in quo christiana vita, quanta usquam est, insistit; ceteri quicumque habentur, pietatis modi demum in id ipsum conducunt et desinunt. Atque ea Christi benigna invitatio benigniorque promissio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et oncrati estis, et ego reficiam vos* [1], in hoc praecipue mysterio evenit et quotidie impletur. — Ipsum denique est velut anima Ecclesiae, ad quod ipsa sacerdotalis gratiae amplitudo per varios ordinum gradus dirigitur. Indidemque haurit habetque Ecclesia omnem virtutem suam et gloriam, omnia divinorum charismatum ornamenta, bona omnia: quae propterea summam curarum in eo collocat ut fidelium animos ad intimam cum Christo coniunctionem per Sacramentum Corporis et Sanguinis eius instruat et adducat: ob eamque rem caeremoniis sanctissimis ipsum

[1] Matth. xi, 28.

ornando facit venerabilius. — Perpetuam hoc etiam in genere providentiam Ecclesiae matris ea praeclarius commendat hortatio, quae in sacro Tridentino Concilio edita est, mirificam quamdam caritatem pietatemque redolens, plane digna quam populus christianus a Nobis accipiat ex integro revocatam : « Paterno affectu admonet « Sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera « misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui « christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in « hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo iam « tandem aliquando conveniant et concordent, memores- « que tantae maiestatis, et tam eximii amoris Iesu Christi « Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae « salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad man- « ducandum, haec sacra mysteria corporis et sanguinis « eius eâ fidei constantia et firmitate, ea animi devotione « ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem « illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, « et is vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis ; « cuius vigore confortati, ex huius miserae peregrina- « tionis itinere ad caelestem patriam pervenire valeant, « eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris « velaminibus edunt, absque ullo velamine manduca- « turi » [1]. — Porro testis historia est, christianae vitae cultum vulgo floruisse melius, quibus temporibus esset Eucharistiae perceptio frequentior. Contra non minus est

[1] Sess. XIII, *de Euchar.*, c. VIII.

exploratum consuevisse, ut quum caelestem panem negligerent homines et veluti fastidirent, sensim elanguesceret christianae professionis vigor. Qui quidem ne prorsus aliquando deficeret, opportune cavit in Concilio Lateranensi Innocentius III, quum gravissime praecepit, ut minimum per sollemnia Paschatis nemo christianus a communione Dominici Corporis abstineret. Liquet vero praeceptum huiusmodi aegre datum, ac postremi remedii loco: semper enim id fuit Ecclesiae in votis, ut cuique sacro adessent fideles de divina hac mensa participes. « Optaret « sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstan- « tes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam « Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos « sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret » [1].

Et uberrimam quidem salutis copiam non singulis modo sed universis hominibus paratam hoc habet augustissimum mysterium, ut est Sacrificium: ab Ecclesia propterea *pro totius mundi salute* assidue offerri solitum. Cuius sacrificii, communibus piorum studiis, fieri ampliorem cum existimatione cultum addecet; hac aetate vel maxime, oportet. Itaque multiplices ipsius virtutes sive latius cognosci sive attentius recoli velimus. — Principia lumine ipso naturae perspicua illa sunt: supremum esse absolutumque in homines, privatim publice, Dei creatoris et conservatoris imperium; quidquid sumus, quidquid privatim publiceque habemus boni, id omne a divina lar-

[1] Conc. Trid., sess. XXII, c. VI.

gitate profectum: vicissimque a nobis Deo testandam et summam, ut Domino, reverentiam, et maximam, ut beneficentissimo, gratiam. Haec tamen officia quotusquisque hodie invenitur, qui qua par est religione colat et observet! Contumaces in Deum spiritus haec, si unquam alia, prae se fert aetas: in qua rursus invalescit adversus Christum ea vox nefaria: *Nolumus hunc regnare super nos* [1], nefariumque propositum, *Eradamus eum* [2]; nec sane quidquam tam vehementi impetu complures urgent, quam ut ex civili atque adeo ex humana omni consortione pulsum segregent Deum. Quo consceleratae dementiae quamquam usquequaque non proceditur, miserabile tamen est quam multos teneat divinae Maiestatis beneficiorumque eius, partae praesertim a Christo salutis, oblivio. Iamvero hanc tantam vel nequitiam vel socordiam sarciat oportet auctior communis pietatis ardor in cultu Sacrificii eucharistici; quo nihil Deo esse honorabilius, nihil iucundius potest. Nam divina est, quae immolatur hostia; per ipsam igitur tantum augustae Trinitati tribuimus honoris, quantum dignitas eius immensa postulat; infinitum quoque et pretio et suavitate munus exhibemus Patri, Unigenitum suum; eo fit ut benignitati eius non modo agamus gratiam, sed plane referamus. — Duplicemque alium ex tanto sacrificio insignem fructum licet et necesse est colligere. Moeret animus reputando, quae flagitiorum colluvies, neglecto, ut dixi-

[1] Luc. XIX, 14.

[2] Ier. XI, 19.

mus, contemptoque Dei numine, usquequaque inundaverit. Omnino humanum genus magnam partem videtur caelestem iram devocare: quamquam ipsa illa quae insidet, malarum rerum seges, continet iustae animadversionis maturitatem. Excitanda igitur in hoc etiam pia fidelium contentio, ut et vindicem scelerum placare Deum, et auxiliorum eius opportunitatem calamitoso saeculo conciliare studeant. Haec autem videant maxime huius ope Sacrificii esse quaerenda. Nam divinae tum iustitiae rationibus satis cumulateque facere, tum clementiae large impetrare munera possunt homines sola obitae a Christo mortis virtute. Sed hanc ipsam virtutem sive ad expiandum, sive ad exorandum voluit Christus integram permanere in Eucharistia, quae mortis ipsius non inanis quaedam nudaque commemoratio, sed vera et mirabilis, quamquam incruenta et mystica, renovatio est.

Ceterum, non mediocri Nos laetitia afficimur, libet enim profiteri, quod proximis hisce annis fidelium animi ad amorem atque obsequium erga Eucharistiae Sacramentum renovari coepisse videantur; quod quidem in spem Nos erigit temporum rerumque meliorum. Multa enim id genus et varia, ut initio diximus, sollers induxit pietas, sodalitates praesertim vel eucharisticorum rituum splendori amplificando, vel Sacramento augusto dies noctesque assidue venerando, vel illatis eidem contumeliis iniuriisque sarciendis. In his tamen acquiescere, Vene-

rabiles Fratres, neque Nobis licet neque vobis; etenim multo plura vel provehenda restant vel suscipienda, ut munus hoc omnium divinissimum apud eos ipsos, qui christianae religionis colunt officia, ampliore in luce atque honore versetur, tantumque mysterium quam dignissima veneratione colatur. Quapropter suscepta opera acrius in dies urgenda; prisca instituta, sicubi exoleverint, revocanda, ut sodalitia eucharistica, supplicationes Sacramento augusto ad adorandum proposito, sollemnes eius circumductae pompae, piae ad divina tabernacula salutationes, alia eiusdem generis et sancta et saluberrima; omnia praeterea aggredienda, quae prudentia et pietas ad rem suadeat. Sed in eo praecipue est elaborandum, ut frequens Eucharistiae usus apud catholicas gentes late reviviscat. Id monent nascentis Ecclesiae, quae supra memoravimus, exempla, id Conciliorum decreta, id auctoritas Patrum et sanctissimorum ex omni aetate virorum; ut enim corpus, ita animus cibo saepe indiget suo; alimoniam autem maxime vitalem praebet sacrosancta Eucharistia. Itaque praeiudicatae adversantium opiniones, inanes multorum timores, speciosae abstinendi causae penitus tollendae; ea enim agitur res, qua nihil fideli populo utilius tum ad redimendum tempus e sollicitis rerum mortalium curis, tum ad christianos revocandos spiritus constanterque retinendos. Huc sane magno erunt momento praestantiorum ordinum hortationes et exempla, maximo autem cleri navitas et industria. Sacerdotes enim, quibus Christus Redemptor Corporis et Sanguinis sui mysteria

conficiendi ac dispensandi tradidit munus, nihil profecto melius pro summo accepto honore queant rependere, quam ut Ipsius eucharisticam gloriam omni ope provehant, optatisque sacratissimi Cordis eius obsequendo, animos hominum ad salutiferos tanti Sacramenti Sacrificiique fontes invitent ac pertrahant.

Ita fiat, quod vehementer cupimus, ut praecellentes Eucharistiae fructus quotidie uberiores proveniant, fide, spe, caritate, omni denique christiana virtute, feliciter accrescente; idque in sanationem atque emolumentum rei quoque publicae: fiat, ut providentissimae Dei caritatis magis magisque eluceant consilia, qui tale mysterium *pro mundi vita* constituit perpetuum.

Quarum Nos rerum erecti spe, Venerabiles Fratres, auspicem munerum divinorum caritatisque Nostrae testem, Apostolicam benedictionem et singulis vobis et vestro cuiusque clero ac populo peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII Maii, in praeludio sollemnitatis Corporis Christi, anno MDCCCCII, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
CYRIACO S. R. E. PRESB. CARDINALI SANCHA Y HERVÁS
ARCHIEPISCOPO TOLETANO
SALVATORI S. R. E. PRESB. CARDINALI CASAÑAS Y PAGÉS
EPISCOPO BARCINONENSI
IOSEPHO S. R. E. PRESB. CARD. DE HERRERA Y DE LA IGLESIA
ARCHIEPISCOPO COMPOSTELLANO
CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS HISPANIARVM
QVI NVPER MATRITVM CONVENERVNT

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Et gratum sane et iucundum officium Nobis accidit vestrae pietatis, quum, congregatis vobis in urbe Matritensi, habita illic sollemnia nullo alio existimastis concludi posse exitu digniore, quam ut ad Apostolicam Sedem cogitatione ac studio advolaretis, eidemque singularem venerationem subiectionemque testaremini. Sensibus cum amore prolatis paratisque ad agendum et ad obsequendum animis magno

opere sumus delectati, nec vero perceptam inde voluptatem non apertam vobis patefactamque voluimus, quos erat consentaneum meritae laudis ornamento decorare. At erecto ob eam rem recreatoque animo haud levem iniicit curam Ecclesiae apud vos status, cuius fortunam, multiplici premente discrimine, vehementer pro benevolentia Nostra dolemus. Itaque repugnare vobis omnique virium voluntatumque contentione obsistere opus omnino est; neque enim pati illud debetis ut a quibus impensior est expectanda ac petenda vigilantia, eorum remissior appareat demandati gregis defensio. Quapropter excitanda in hoc est, quemadmodum firma Nobis expectatione portenditur, Episcoporum praecipue navitas atque industria, inanique impiorum hominum conatui obiiciatur oportet studium tuendae provehendaeque religionis. Quam ad rem plurimum sane utilitatis accessurum censemus si, ad conferenda cuiusque vestrum consilia dissipatasque vires colligendas, in episcopales coetus persaepe vos frequentesque conveniatis. Est nimirum hoc Nobis in voto, nihilque a vobis ardentius exoptamus quam ut non solum pro sua quisque dioecesi ac virtute decertatis, sed etiam in unitatem conferatis sententias ac robur, factoque quasi agmine, in communes inimicos communi ausu et constantia nitamini. Ceterum, quas Nobis polliciti estis voluntates plane obtemperantes, has habemus iam pridem cognitas. Animum igitur Nostrum non tenuis confirmat spes fore ut ea perficiatis alacres quae spectari a Nobis intellexistis. Percipientur profecto lectissimi e concordia vestra fructus,

eruntque sociatae vires magnae victoriae indicium. Deus autem qui fidei nos vinculo coniunxit, afferat vobis opem, eamque devocet uberem benedictio Nostra Apostolica, quam unicuique vestrum, itemque fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Iunii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

LVDOVICO NAZARIO ARCHIEPISCOPO QVEBECENSI

MAGNO CANCELLARIO VNIVERSITATIS STVDIORVM LAVALLIANAE

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Libenter sane abs te cognovimus de isto, cui praesides, Lyceo magno, annum propediem completum iri quinquagesimum, postquam est feliciter conditum: simulque fore ut id eventum, te quidem praeeunte ac tuis istic in Episcopatu collegis, curantibus autem qui ex illa disciplina sunt profecti, illustribus laetitiae significationibus celebretur. Compertum Nobis est, quantum in nobili studiorum optimorum domicilio insit momenti ad rem catholicam istic tuendam. Quare dignum esse atque ad bona incepta urgenda in primis utile intelligimus commemorari, quemadmodum necessario apud vos tempore id institutum initia ceperit, quibus adiutoribus deinceps creverit, quas in commune utilitates hoc toto spatio, favente Deo, attulerit. Quo in genere ob egregia promerita singularem

quamdam deberi laudem novimus Seminario Quebecensi; in quo spirare etiamnum videtur salutaris industria Auctoris sui, viri immortali memoria dignissimi, cuius propterea nomen iure isti adhaeret Lyceo. Sed illud Nobis est, ut debet, periucundum, quod Sedis Apostolicae praecipue vos et sollertem in hac etiam caussa providentiam memori cum gratia recolitis, et maternae exhortationis vocem ad cumulandum istius faustitatis fructum expetitis. Nos certe non secus ac decessor Noster illustris, Lavallianum Institutum studio omni benevolentiaque prosequi numquam destitimus. Consuevimus etiam eximiam vestram suspicere vel diligentiam vel praescriptionum Nostrarum observantiam, ut in eo tum litterarum et artium elegantia floreret, tum graviorum disciplinarum sana praeceptio. In quo placet admodum, praecipuae vobis curae esse adolescentes sacri ordinis, nimirum ut tales existant, quales ad haec tempora pernecesse est esse probe a doctrinis instructos et munitos. Quod autem te, Venerabilis Frater, significasti velle, non clericos modo, verum laicos etiam, tum alumnos tum praeter alumnorum numerum edoceri ius Ecclesiae publicum, valde hoc tuum Nobis probatur consilium. Siquidem habebunt inde catholici homines prompta et parata arma ad defendendam, quam vident ubique in discrimen adductam, libertatem dignitatemque Ecclesiae. — Itaque in navitatem sedulitatemque vestram comprobatio rectius Nostra quam cohortatio convenit: nec vero dubitamus, quin pariter elaboraturi sitis in posterum, atque adhuc fecistis. Restat ut catholicorum opes, quod

vehementer cupimus, vobis suffragari pergant: hoc persuaso, incrementa Lycei magni Lavalliani quam maxime esse cum Ecclesiae Canadensis utilitatibus coniuncta. — Auspicem divinorum munerum et singularis benevolentiae Nostrae testem tibi, Venerabilis Frater, ceterisque Episcopis collegis tuis, item moderatoribus Lycei magni, doctoribus decurialibus, alumnisque universis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Iunii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO DIE IX IVNII MDCCCCII

—

VENERABILES FRATRES

Volvitur Nobis annus per intermixta magnis curis tempestiva solatia. Nam si labores, si sollicitudines circumstant, at certe patrocinii tutelaeque caelestis non modo testimonium Nobis, sed quoddam quasi pignus haec est tam insueta Pontificatus maximi, in summa praesertim senectute, prorogatio. Insigne admodum ac memorabile beneficium; de quo gratia quidem providentissimo auctori Deo propter id habenda maior, quod eventum privatae rei voluit esse cum honore nominis sui aliqua ratione coniunctum. Etenim quid haec sibi denique volunt gratulantium et consalutantium effusa undique quartum iam mensem studia? Altius profecto, quam ad Nos privatim, ista pertinent. Nimirum cives et advenae certant illi quidem obsequio circa personam Nostram, sed mentis oculis in vicaria Iesu Christi potestate defixis: hanc maxime amplexantur, huic honorem venerabundi habent. Itaque in istiusmodi studiis significationibusque cum pri-

vatis, tum publicis, si quid Nos delectat, omnino animorum talis affectio delectat, laudanda hoc tempore et probanda magis, quam unquam fortasse alias. Siquidem, quando pollent tanta vi exempla prava, ac tam perniciosis artibus nituntur oppugnatores religionis avitae, non contemnendae virtutis est profiteri christianos sensus in luce civitatum, aperteque et libere prae se ferre devotam Apostolicae Sedi voluntatem: quin etiam spem inde ac velut augurium non inepte capias maioris aliquando salutis futurae. — Verum inter haec memoratu iucunda, urget aliunde, idque e proximo, rerum imago molestissimarum. Facillime coniicitis, quo deflectat oratio. Circumiecta Pontifici incommoda, eaque varia atque aspera, saepe hoc ipso loco, ut oportuit, conquesti sumus. Unum hodie denuntiamus sine intermissione ingravescens, vehementerque ad cogitationem acerbum, utpote quod cum discrimine sempiternae multorum salutis copulatur; scilicet multiplices pietati publicae aut acceptas, aut metuendas in Urbe iacturas. Rem attingimus plus nimio cognitam. In hac sede principe eademque arce catholici nominis provisa constitutaque divinitus, cernere est ad perniciem catholici nominis grassantes impune teterrimas cupiditates, eodemque tempore, qui locum in republica altiorem obtinent, institutorum christianorum oblivione aut taedio captos. Hinc tamquam magnum aliquid adepturi, cogitatione relabuntur ad miseram vetustatem, Christi Redemptoris beneficio depulsam: quodque indiciis apparet non paucis neque dubiis, expetunt iam et, quantum in

ipsis est, conantur refingere ingenium Urbis, christianâque obscurandâ sensim formâ, ritus ac mores ethnicorum restituere. Utique defensurus a civitate sua est Deus optimus maximus infandum malum; interea tamen tradita populo romano divina fides, cuius incolumitas tot laboribus stetit ac tanto sanguine, pessimo cuique ludibrium quotidianum relinquitur. Hic, in oculis prope Nostris, pravarum haereseon liberiora contagia: concionatorum popularium adversus augustissima dogmata licentia solutior: impiarum ephemeridum nullo nec pudore nec modo exultans audacia. Ad ludos scenicos, in scholis, per compita, per vias, quacumque vestigium ponas, parata licentius pietati populari discrimina, iniuriasque rerum sanctissimarum inultas videas. Atqui fidem dederant, debitam religioni verecundiam, salvam per ipsos in Urbe fore. — In hoc rerum tam ancipiti statu, reputet quisque apud se, nihil unquam adeo exitiosum esse, quam indormientes periculo animos. Equidem novimus romanam civitatem, nec sumus ignari longe plurimos et vigilare, et abhorrere omni ab re profana, neque facile eripi sibi quicquam de religione avita passuros. At vero non vigilantia hoc tempore, non fortitudo ulla potest esse tanta, quin oporteat pro magnitudine periculi adhibere maiorem. Quod Nostrarum est partium, hoc certe in primis agimus, atque in hoc magna pars curarum laborumque Nostrorum evigilat, ut summum bonum, quod est catholica sapientia, populo romano religiosissime tueamur. Atque in re tanti momenti non consilium pruden-

tiamque Nobis vestram, Venerabiles Fratres, non Cleri urbani operam studiumque ullo tempore defuturum, certo scimus. Ceterum, in primis et maxime benignitati patrocinioque omnipotentis Dei confidimus, quippe qui almam hanc urbem ex omni aeternitate delegit, cui tam excelsa ac salutaria munera uni ex omnibus ipse aliquando mandaret.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
DOMINICO TIT. SANCTI HONVPHRII IN IANICVLO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SVAMPA
ARCHIEPISCOPO BONONIENSI
CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS
EPISCOPIS AEMILIAE REGIONIS

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Mandata atque expressa communibus litteris obsequia cum praecipua quadam animi voluptate ab Episcopis accipere consuevimus in provinciae conventus congregatis; studiosae enim ac sollertis operae, in quam eos incumbere novimus, iucundior concludi ac salubrior exitus non potest quam si ad moderatorem ecclesiae universae consilia referantur et mentes. Hac vero Iubilaei Nostri Pontificalis celebritate multo inde maiorem colligere Nobis iucunditatem videmur; nam episcopos fratres Nostros id velle per haec obsequia censemus ut ad augendam animo Nostro laetitiam publice fateantur coniunctionem suam

summam esse Nobiscum. Quam quidem rem placuit vobis perspicue declarare hoc maxime tempore, quum datas a Nobis de sanctissima Eucharistia litteras encyclicas suscepistis maiorem in modum venerabundi, eiusque propagandis documentis studium industriamque vestram polliciti ardenter estis. Id ipsum sane spe Nostra atque expectatione continebatur: nec maior in Nobis voluntas inhaeret quam ut fundantur late doctrinae Apostolicae semina. Quod si per vos omnes hoc fauste contingat, fructum hunc esse arbitrabimur haud modicum optatorum Nostrorum. Auspicem divinarum gratiarum benevolentiaeque Nostrae testem Apostolicam benedictionem vobis omnibus gregibusque vestris peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Iunii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

AL SIGNOR CARDINALE
MIECISLAO LEDÓCOWSKI
PREFETTO DELLA S. C. DI PROPAGANDA

Signor Cardinale,

Fra i luoghi di missione, che maggiormente richieggono l'opera solerte e perseverante dell'apostolato, noverammo sempre in cuor Nostro la Grecia, e nella sollecitudine quotidiana di tutte le Chiese non fu mai che perdessimo di vista quella porzione della grande famiglia cattolica che s'accoglie dentro ai confini del regno ellenico. Porzione esigua purtroppo, ma che vuol essere per ciò stesso custodita e coltivata con più cura, sicchè possa non soltanto star salda ed incolume, ma dilatarsi e venire, a Dio piacendo, in maggior fiore. — Con tali intendimenti, aperto anni addietro a spese Nostre in Atene un Liceo per giovani, chierici e laici, desiderosi di letteraria coltura, abbiamo adesso l'animo ad un'opera nuova che Ci sta sommamente a cuore, perchè intesa a formare nel grembo stesso della nazione un Clero indigeno da cavarne

a poco a poco buoni parrochi e zelanti missionari. Ella, signor Cardinale, è già abbastanza in chiaro della cosa. I nostri Vescovi di colà, consapevoli, come sono, de' bisogni spirituali delle loro diocesi, Ci proposero concordemente l'anno passato di voler fondare nella metropoli ellenica un Seminario per giovani chierici di rito latino e idioma greco; impromettendosene colla benedizione del cielo, vantaggi non lievi. Savio ed opportuno Ci parve il suggerimento; onde abbracciatolo di buon grado, lo facemmo Nostro, sanzionandolo mediante la lettera *Urbanitatis veteris* del 20 Novembre 1901, responsiva a quella degli anzidetti Prelati. Pigliando a colorire il disegno, bisognava prima di tutto provvedere di conveniente sede il divisato Istituto; e lo abbiamo fatto coll'aver posto a disposizione di Monsignor Antonio Delenda, Arcivescovo di Atene, la somma di lire italiane *ottantamila* per la compera e l'adattamento di un edifizio attiguo al Liceo, e che si porge agevolmente ad accogliere un discreto numero di alunni con i superiori ed alcuni maestri. Ciò che ora Ci preme, si è di assicurare nella migliore guisa possibile l'ordinamento e le sorti future dell'opera; e a tale intento vogliamo e in virtù di questo scritto ordiniamo, che esso Seminario sorga sotto gli auspicî e colla guida di Propaganda, e quanto all'amministrazione economica, alla disciplina, all'insegnamento, viva sottoposto in perpetuo alla giurisdizione e al regime di cotesta sacra Congregazione. Per ciò che concerne la dotazione, consegneremo quanto prima nelle sue mani, signor Cardinale,

la somma di lire *trecentomila,* col mandato di erogarne tutta la rendita al mantenimento dell'Istituto; e quando il fruttato annuo di essa somma non uguagliasse le *quindicimila* lire, supplisca alla differenza l'erario di Propaganda. Fidati nello zelo e nella prudenza sua, commettiamo a lei particolarmente l'esecuzione di questi Nostri voleri, accordandole piena facoltà di provvedere a ogni cosa nel modo che stimerà migliore, salvo il previo avviso dei Vescovi diocesani per ciò che si riferisce all'ammissione e al numero degli alunni. Auspice dei divini favori e come pegno della Nostra benevolenza le accordiamo con animo paterno la benedizione Apostolica.

Vaticano, 14 Luglio 1902.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PETRO LAMBERTO TIT. SANCTAE CRVCIS IN IERVSALEM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GOOSSENS
ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Qui Augusti Sacramenti cultum religionemque summopere alere ac promovere, datis vel recentissime litteris, vehementer studuimus, favorem voluntatemque Nostram noluimus decimo quarto Eucharistiae conventui desiderari, qui in urbe Namurcensi mense Septembri proximo cogetur. Quapropter quum secundissimos esse huius celebritatis exitus exoptemus, perlibenti animo consilium suscepimus te Legatum Nostrum a latere deligendi, qui congressui praeesses nomine, vice et auctoritate Nostra. Hoc autem honore conventum Eucharistiae decimum quartum augentes, in spem ingredimur egregiam uberioris colligendae segetis, amplificandique tanti mysterii cultus; quod Nobis et virtus pollicetur tua, et eorum omnium pietas con-

firmat qui sunt coetui parando praepositi. Adprecamur interea tibi benevolum Deum ac propitium, gratiarumque caelestium auspicem Apostolicam benedictionem cum tibi tum ceteris qui in conventum confluent peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Iulii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

THOMAE LVDOVICO EPISCOPO NAMVRCENSI

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Duplicem abs te nuntium non dissimili laetitiae sensu recepimus, et magisterium tibi esse demandatum supremi congressuum Eucharisticorum consilii, et decimum quartum sanctissimae Eucharistiae conventum, qui proximo Septembri mense advocabitur, iam apud Namurcensem urbem apparari. Haec dum animo reputamus, gratiam eamque peramplam habemus omnipotenti Deo, qui excitatum Eucharistiae cultum voluit e medio Belgarum populo, e sua veluti praecipua sede, eminere. Genti enim vestrae illud singulari laudi vertitur, quod amore et cultu sacramenti augusti splendide praeluceat, exemploque mirabili pertrahat ceteros ad maiorem habendam divino huic mysterio religionem. Quapropter consilium tuum vehementer approbamus, enitendi pro viribus ad novum Eucharistiae triumphum comparandum, atque ad sensa huius pietatis

praecellentissimae in Namurcensium animis fovenda. Id autem opportune admodum accedit ut obsequia vestra, quae per hunc Iubilaei pontificalis annum Romanum Pontificem spectant, coniungantur eadem cum veneratione Christi sacris speciebus induti; ex quo sine dubitatione efficietur ut de adhibito in Christum impensiore cultu, nonnihil etiam incrementi capiat vicariae Nostrae dignitatis observantia. Volumus igitur magno te animo, grandique cum fiducia ad conventum accedere, Deique benignissimi gratiam uberrimam tibi adprecamur. Quo autem ditiores conventui reserentur caelestes thesauri, indulgentias omnes, quas eucharisticis coetibus impertire consuevimus, nunc etiam libentissime largimur. — Testem benevolentiae Nostrae, Apostolicam benedictionem tibi et ceteris qui in conventu aderunt peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Iulii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ELIAE PETRO PATRIARCHAE ANTIOCHENSIVM MARONITARVM
CETERISQVE ARCHIEPISCOPIS MARONITIS
BECORKIVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Coniunctionem vestram cum Apostolica Sede, quam quae maxime firmam, gratumque de collatis beneficiis animum demonstrastis binis in litteris splendide. Affert sane laetitiam iucundissimam praeclarae Maronitarum gentis conspectus, per haec Iubilaei Nostri Pontificalis sollemnia affectae erga Nos supra quam dici potest egregie. Pateant vobis, pateant fidelibus quoque vestris memoris gratiae Nostrae argumenta; enixis enim precibus ac votis studuistis vos et contendistis voluptatem praesentis celebritatis augere Nobis, senectutemque Nostram, per Deum benevolum ac facilem tantopere prorogatam, comparato gaudio recreare. Hisce cum sensibus illam volumus sociatam significationem spei, quae haeret Nobis in animo

iampridem defixa. Orientales populos dicimus, quorum expectatione universorum vehementer tenemur, si tandem velint ad amplexus Nostros, ut filii, confluere, atque ad ovile Christi diverso ex itinere reverti. Pergite igitur exorare benignissimum Deum; dabit profecto divinum Numen et adprecantibus vobis et hortantibus Nobis uberrimam gratiarum laetitiarumque segetem. Horum autem donorum caelestium auspicem, benevolentiaeque Nostrae testem, Apostolicam benedictionem vobis omnibus vestrisque fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Iulii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ORDINE CISTERCIENSIVM REFORMATORVM
SEV STRICTIORIS OBSERVANTIAE

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Non mediocri sane animi Nostri solatio percipere licuit, unitatem communionemque vitae, iam inde ab anno MDCCCXCII inter varia Cisterciensium Trappistarum Instituta feliciter initam, firmiorem temporis diuturnitate effici uberioresque in dies fructus usque eo proferre, ut vetustus ipse Cisterciensis Ordo ad pristina exempla virtutis alacrius renovanda excitatus propemodum videatur. Qui profecto Ordo, a Roberto, viro sanctissimo, Abbate Benedictino Molesmensi, anno christiano MXCVIII, auspicato eductus, mirum quantum, cura praesertim et studio Bernardi Doctoris, propagari potuerit. Memoratu autem, ne plura revocemus, digna occurrit potissimum animis praeclarae Congregationis Saviniacensis, quae Trappensis Abbatiae anno MCXL erectae praefecturam gerebat, ad Ordinem Cisterciensium accessio, ab Eugenio III Decessore Nostro, Litteris datis die XIX Septembris anno MCXLVII, plene cumulateque approbata. Omnibus vero in comperto

est, quam aspera vitae ratione, et quam eximia morum sanctimonia perillustris huiusce Ordinis Sodales in exemplum floruerint, quantaque Ecclesiae catholicae reique ipsi civili tunc attulerint emolumenta. Verum, labentibus annis, temporum plane iniuria et voluntatum remissione, a primaeva regularis disciplinae observantia paullatim deflectere et latiori vivendi formae indulgere animi coeperunt. Quo factum, ut quae antea praescripta et usitata essent, ea rursum in obsequium redigenda, et qualia in prima Ordinis aetate viguerant, religiosissime esse custodienda, ad unum fere omnes fateri cogerentur. Hinc non pauca instaurandae emendationis conamina et experimenta haud semel peracta, ex quibus plures illae Cisterciensis Ordinis Congregationes originem duxisse noscuntur, quae, ad vitae rationem singulis accommodatam et noviter liberam enitentes, a Sede parente atque altrice, atque ab obedientia Abbati Generali olim praestita pedetentim discedere, suique fere iuris effici sueverunt. Dum aliud aliis placeret, et interioris dissimilitudine communitatis ceterae distarent, una religiosae disciplinae restitutio et emendatio, quae, ob arctius vivendi genus, *Strictioris Observantiae* nomine designatur, exeunte saeculo XVI, cogitatione et industria Dionysii Largentier Clarae Vallis Abbatis, Deo adspirante, in Gallias invecta, Cistercio semper unitam Abbatique Generali fidelem sese subiectamque continenter praebuit. Ipsa autem ab Alexandro VII Decessore Nostro, datis Litteris die XIX Aprilis anno MDCLXVI, rite probata, tam celeri temporis et eventuum faustitate

increbuit, ut perbrevi vel plurima coenobia numeraverit, quae inter, conspicuum procul dubio locum eumque praecipuum obtinuit Trappensis Abbatia, cui providentissimi Numinis consilium longe praestantiora constituerat. Eius enim Sodalibus id usu venit, ut, commotâ Gallicae seditionis vi e patria in exilium pulsi, disciplinae suae famam ultra Europae limites circumferre, permultisque sensim coenobiis in Congregationes postmodum coalescentibus, opportune et frugifere erectis, maximis Ecclesiae et hominum societatis temporibus, utrique egregio praesidio et ornamento esse valuerint. Quae quidem coenobia, in Galliis primum, Gregorius XVI Decessor Noster in unam Congregationem, proprio Vicario Generali praeditam, sub praeside tamen Moderatore Generali Ordinis Cisterciensis, coegit; Pius vero IX, Noster item Decessor, in duas Congregationes cum suo utrasque Vicario, dividenda censuit. Nos autem tueri cupientes regularem disciplinam, et, quae Nostrae sunt partes, omni cura et officii sollicitudine incrementum et prosperitatem diversarum Congregationum Trappensium Ordinis Cisterciensis provehere, iam inde ab anno Domini MDCCCXCII, quod magnopere ad rem conduceret, perlibenter mandavimus, ut Generale earumdem Congregationum Capitulum in hac alma Urbe ad id celebraretur, quod inter alia, de ipsarum coniunctione et regimine, praesertim ac praecipue, agere posset. Cum autem vota Nostra sat impleverit exitus, et Capitularium qui Romam dicto audientes convenerant, consilia et exempla, uti par erat, ad spem cesserint, omniumque

consensu decretum fuerit, ut tres Cisterciensium Trappistarum Observantiae Westmallensis, Septemfontium et Mellearensis unum tantum Ordinem *Cisterciensium Reformatorum B. M. V. de Trappa,* sub unius Superioris regimine constituerent, Nos datis Litteris in forma Brevis die XVII Martii MDCCCXCIII, non solum hanc optatam unitatem ratam habuimus et confirmavimus, sed etiam hunc ipsum Ordinem autonomum esse, sub unius Apostolicae Sedis dependentia, salvis iuribus Ordinariorum locorum iuxta Constitutiones Apostolicas et Instituti, declaravimus, decernentes ut cetera capitulariter proposita insererentur Constitutionibus infra annum sacrae Episcoporum et Regularium Congregationi exhibendis. Cum vero Constitutiones, quas memoravimus, ab eadem sacra Congregatione ratae habitae sint, tempus autem adhuc usque exactum operis perfecti gravitatem confirmaverit, dilectus Filius Sebastianus Wyart, Abbas Generalis dicti Ordinis, Nobis demissas preces supplicationesque porrexit, ut ad maiorem eiusdem Ordinis stabilitatem firmandam atque animorum utilitatem fovendam, non solum Constitutionibus ipsis Apostolicae confirmationis robur adiicere, sed et de privilegiis ad eumdem Ordinem spectantibus decernere ac alia desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, Cisterciensium Reformatorum quieti et prospero statui amplius consulere, eosque, ut ad Dei laudem et Christifidelium aedificationem felicioribus in dies proficere valeant incrementis, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon singulas Abbatis Generalis, alio-

rumque Abbatum et Monachorum praedictorum personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, ad huiusmodi supplicationes benevole excipiendas inclinati, Constitutiones, quas iam diximus, omniaque et singula quae in eis continentur, Apostolica auctoritate, praesentium Litterarum vi, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus. Praeterea statutam Unionem inter Cisterciensium Trappistarum Observantias Westmallensem, Septemfontium et Mellearensem, earumdemque in unum Ordinem sub unius Superioris regimine erectionem iterum approbantes et confirmantes, volumus ac statuimus, ut eidem Ordini postea hoc nomen sit *Ordo Cisterciensium Reformatorum* seu *Strictioris Observantiae,* illiusque princeps et honore et auctoritate Domus, Sedesque Titularis in perpetuum cuilibet Abbati Generali eiusdem Ordinis sit Monasterium Cistercii vetus et clarum, unde Cisterciensis Familia initium duxit. Abbati insuper Generali aliisque Abbatibus et Sodalibus Reformatis seu Strictioris Observantiae, utpote qui, non obstante, quam memoravimus, unione et in unum Ordinem autonomum constitutione, non secus ac Abbas Generalis, aliique Abbates et Sodales Observantiae Communis, sint et permaneant veri eiusdem Familiae Cisterciensis alumni, privilegia omnia, gratias, indulgentias, facultates, praerogativas

et indulta, quae praedictae Cisterciensi Familiae quomodolibet concessa fuerunt, dummodo in usu sint et non sint revocata neque sub ullis revocationibus comprehensa, ac Sacri Concilii Tridentini Decretis et Constitutionibus Apostolicis atque Instituti non adversentur, et quibus Abbas Generalis ceterique Abbates et Sodales Observantiae Communis utuntur potiuntur et gaudent, sine ulla prorsus differentia, auctoritate et vi praedictis, competere statuimus et declaramus; illisque, si opus sit, ea omnia impertimur et extendimus, incluso etiam privilegio Abbatum conferendi, servatis servandis, regularibus suis subditis primam Tonsuram et quatuor Ordines minores tantummodo. Decernentes praesentes Litteras validas, firmas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Ordini et Monachis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque ab omnibus censeri et iudicari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xxx Iulii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

A. CARD. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

—

VENERABILI FRATRI
IOSEPHO EMMANVELI
PATRIARCHAE BABYLONENSI CHALDAEORVM

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad sinum complexumque Ecclesiae matris, omni caritatis industria, revocare quotquot ab ipsa misere aberraverint, Apostolici muneris officium est magnum, si quod aliud, et sanctissimum. Huic quidem officio ut, quoad posset, satis per Nos fieret, nihil videmur ad hunc diem fecisse reliqui; idque cum in aliis catholicae unitatis expertibus, tum in ea gente, quam iam diu ab Ecclesia haeresis Nestoriana distraxit. Nunc vero permagnas agimus divinae benignitati gratias, quod positas a Nobis in eius gentis salute curas uberrime adiuverit. Siquidem, opera praesertim diligentiaque sodalium Dominicianorum,

non modo factum est, ut homines ex illis bene multi, fidei veritate comperta, catholicam professionem inierint; sed accepimus etiam a duobus Episcopis nonnullisque primariis viris, ipsorum manu subscriptam, catholicae fidei formulam, suppliciter enixeque rogantibus, ut se vellemus ad veram Ecclesiam redeuntes recipere. Nos enimvero, pro paterno in ipsos animo, quanta cum voluntate postulata eiusmodi precesque complexi simus, dicere vix attinet. — Itaque te, Venerabilis Frater, cuius pastorale studium prudentiamque habemus probe cognitam, quique in sacris peragendis eodem, quo ipsi utuntur, uteris chaldaico ritu, Nostrum et huius Apostolicae Sedis Delegatum constituimus ac renuntiamus, ad ipsius Sanctae Sedis nutum; tibique necessarias et opportunas facultates, quas etiam subdelegare poteris, tribuimus, ut servatis de iure servandis, eos in Ecclesiae catholicae gremium recipere, et supra memoratos Episcopos aliosque ecclesiasticos viros a quacumque etiam irregularitate dispensando relevare possis.

Quoniam autem, ut diximus, de Nestorianorum ad Ecclesiam reditu optime adhuc sodales Dominiciani meruerunt, minime dubitamus futurum, quod valde cupimus, ut hac ipsa in re et illi se tibi adiutores bonos de cetero impertiant, et ipse eorum operam auxiliumque libenter adhibeas. Ita coniunctis utrimque studiis communia optata certius evenient et felicius.

Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, aliisque, speciali licet atque individua mentione

ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXXI Iulii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
NOVA DIOECESIS LEADENSIS
IN CIVITATIBVS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTRIONALIS
ERIGITVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, et quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene prospere ac feliciter eveniant, ea ut sollicito studio praestemus Nos admonet supremi Apostolatus munus, quo in terris licet immeriti fungimur. Iam vero cum Venerabilis Frater Thomas O'Gorman Episcopus Siouxormensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis enixe Nos flagitaverit, ut ad incrementum religionis et maius bonum animarum nova dioecesis erigeretur per dismembrationem dioecesis commissae sibi, cumque in huiusmodi petitionem Metropolitanus et Episcopi comprovinciales plene consenserint, imo eam maxime commendaverint, Nos omnibus momentis attente perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, con-

sideratis latius rei adiunctis, et potissimum commendatione dilecti Filii Nostri Cardinalis Martinelli Pro-Delegati Apostolici in praefata regione, oblatis precibus annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Apostolica auctoritate Nostra praesentium vi perpetuumque in modum, motu proprio, deque certa scientia ac matura deliberatione Nostris, adhibito pro linea divisionis cursu fluminis *Missouri*, quod dioecesim Siouxormensem a Septentrione ad Austrum in duas fere aequales partes dividit, occidentalem partem ex ipsa dioecesi distrahimus, et hanc in novam dioecesim cum Episcopali residentia in urbe *Lead City* vulgo appellata, a qua eadem nomen *Leadensis* habebit, et cum Cathedratico discreto arbitrio Episcopi pro sua mensa Episcopali imponendo, erigimus atque instituimus. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non Cancellariae

Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die IV Augusti MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO

IOSEPHO GIESSLER PRAESIDI COETVS

VNDEQVINQVAGESIMO GERMANORVM CATHOLICORVM CONGRESSVI

PARANDO

MAVNHEIMIVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Exploratum probe tenemus quantum sollertiae et gravitatis ad solemnes rei catholicae conventus Germani conferre consueverunt. Quapropter non tenuis uberum fructuum expectatio erigit Nobis animum et confirmat, quum exitum cogitatione spectamus qui erit undequinquagesimi coetus proprius, Maunheimiensi in urbe congregandi. Nam sive mentem appellemus ad ea quae consiliis vestris provisa et constituta praeterito tempore novimus, sive illa animum advertamus quae sunt vobis Maunheimium conventuris proposita, multa esse existimamus cur merita laude alacritatem fidelitatemque vestram prosequamur. Unionis autem caritatisque consilia, quibus agitandis atque

amplectendis congressum proximum unanimi consensione decrevistis, praecipua quadam delectatione Nos complent, fideque minime dubia esse iubent amoris sensuumque vincula, quorum esse apud vos connexionem anteacta tempora probant, confirmari communi deliberatione atque opera debere. Pergite igitur, ut facitis; in exemplumque catholicis omnibus praelucentes, ad ea assequenda omni studio incumbite quae in singulorum utilitatem et in Ecclesiae commoda statuistis. Vobis autem tam egregie animatis benedictionem Apostolicam, divinorum munerum auspicem, amantissima voluntate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Augusti MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS

BENEDICTO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LANGÉNIEVX

ARCHIEPISCOPO RHEMENSI

FRANCISCO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RICHARD

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI

ADOLFO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI PERRAVD

EPISCOPO AVGVSTODVNENSI

VICTORI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LÉCOT

ARCHIEPISCOPO BVRDIGALENSI

PETRO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI COVLLIÉ

ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI

IOSEPHO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LABOVRÉ

ARCHIEPISCOPO RHEDONENSI

CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS GALLIAE

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quo tempore multas undique dolemus aegritudinis caussas, in quibus illae acerbius animum Nostrum percellunt quae sunt vestra e Gallia profectae, non modicum cordi

Nostro solatium litterae crearunt, quas communi sententia communiumque nuncias votorum per haec Iubilaei Pontificalis sollemnia misistis. Quod huius faustitatem eventi productamque, supra quam expectare liceret, Pontificatus Nostri diuturnitatem mirificis gratulationibus summisque felicium rerum optatis prosequi maturastis, humanitatem pietatemque agnoscimus Episcoporum Galliae, gratiasque de amoris officio et habemus et, pari laetabilium ominum vice persoluta, referre etiam gaudemus. At illustris haec obsequii significatio maius quiddam complecti ac declarare, hisce praesertim incumbentibus Ecclesiae temporibus, sine dubitatione videtur. Coniunctionem namque vestram luculente publiceque testatam inde percipimus, eamque non inter vos ipsos modo, verum cum Apostolica quoque Sede arcte cohaerentem. Hanc porro Episcoporum concordiam tam Nos frugiferam salubremque arbitramur quam quae maxime possit: huc enim, perinde quasi in exemplum auctoritate propositum, intuebuntur profecto, quotquot sunt, gentes Gallorum, sequeturque ut multo quam antea coniunctior existat et vestra cum clericis et clericorum cum laicis amica conspiratio. Quam quidem sententiarum voluntatumque necessitudinem, quemadmodum plus semel suadendam curavimus, ita, ingravescentibus hac aetate calamitatibus, maiorem in modum commendandam existimamus. Quem enim vehementius in praesens non moveant coniuratae plurimorum fallaciae christianas leges impetentium? Quem vero invigilantem Episcopum lateat ea nunc pestifera disseminari passim

contagia quae perniciosissimis venenis multitudinem imbuant, religionem omnem a sobole extrahant, instituta Ecclesiae contemptui donent, conditam denique a Christo Ecclesiam ruere moliantur? Atqui divinae benefacta fidei in omni varietate vivendi nationes ac gentes persentiunt: atqui ambiguum esse nemini potest civitatum incrementa religionis reverentia gigni, florentissimasque respublicas facinoribus impiis dilabi. Hae tamen improborum invidiae quominus misere invalescant coniunctio tantum bonorum facere potest, ob eamque rem voluntatis divinae conscii firmissimum salutis praesidium in Petri Cathedra collocantis, nihil fecimus reliqui ad excitanda in Clero atque in populis congruentia malis proposita. Iam si eos omnes spectemus qui in Ecclesia potestate antecellunt, eximio iucunditatis sensu perfundimur, quum hortationi Nostrae incensis Episcopi studiis sint obsecuti, illustriaque dederint pastoralium sollicitudinum argumenta. Hac tamen laude Galliarum Praesules praecipua quadam de caussa exornantur; hi enim tempora turbulentiora asperioresque rerum casus etsi tulerunt, at religione summa Sedem coluere Petri, neque ab opera Nostrarum adiutrice curarum ullo tempore conquieverunt. Testem tam probe affectae voluntatis epistolam habemus, qua tristitiam Nobis insidentium calamitatum elevatis, animosque denunciatis non modo ad obtemperandum faciles, verum etiam praescriptis, pro necessitate, occurrentes. Gratulamur propterea vobis et de studio paternae fidei tuendae, et de praeclaro concordiae exemplo, quo gregi vestro praelucetis. Profecto

nobilem illam summisque extollendam laudibus memoriam primorum Galliae Praesulum sancte vos inviolateque custoditis. Quemadmodum enim factum per illos est ut ceteris ornamentis catholicum etiam nomen Gallia coniungeret, ita per viros sacri Episcopatus sarta in praesens et tecta praestatur catholici amplitudo decoris. Hisce profecto recordationibus adhaerendum fortiter est, si fidelissimae Galliae gloriam valido tueri praesidio cupiatis, impiorumque si retundere cum efficacitate impetus velitis. Ad haec autem assequenda bona collaturos vos esse veteris constantiae vim minime dubitamus, quippe virtuti vestrae confidimus, quam experiendo cognovimus. Affert etiam non tenuem eiusdem firmitatis retinendae spem optimus quisque Gallorum, cuius deleta in corde non sit nobilitas illa non defectura, quae per Dei gesta tam claro populo accessit. Neque enim ob prementes aerumnas plurimum de se expectare filii vestri non iubent, nec potest inimica fortuna honestissimo catholicorum nomine eosdem exuere. Accedit ut precibus merito nitamur, quas Venerabili Ioannae Arcensi adhibetis, opemque tam bonae virginis abunde vobis affuturam speramus. Et quoniam iubilaris huius celebritatis occasionem amplexi, id enixe rogastis ut invictissimam Ioannam in caelitum ordinem referamus, nihil sane magis paternae caritati Nostrae consentaneum censeremus, quam, novum benevolentiae pignus, hanc catholicae Galliae optatissimam gratiam adiicere. At nemo vestrum ignorat, propositam a vobis rem, qua est gravitate, ad leges S. Rituum Congregationis esse omni religione exigendam.

Quapropter adprecari Deum satius in praesentia ducimus ut vestra e sententia negotii exitus cedat. Testem interea animi Nostri divinorumque munerum auspicem Apostolicam benedictionem vobis vestrisque fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Augusti MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPO LIMANORVM
CETERISQVE PERVVIAE EPISCOPIS
LIMAM

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Delectati summopere sumus optatis ac votis quae Nobis ob sollemnia Iubilaei Nostri Pontificalis, ex episcopalibus coetibus obtulistis. De officio pietatis, quo vestram cum Apostolica Sede coniunctionem confirmatam cognovimus, memorem profitemur animum, Iidemque vos enixe cohortamur ut quum grates, Nobiscum una, benignissimo Deo referatis, qui tam insueta dierum accessione Pontificatum Nostrum adauxit, tum etiam a Domino per preces contendatis et senectuti Nostrae vires, et animo, de Ecclesiae calamitatibus laboranti, solatium. Libet autem gratulari vobis de iis quae ad Ecclesiae disciplinam restituendam atque ad religionis amplificanda commoda provisa per vos et constituta peropportune sunt, nihilque dubitamus quin

ad exequenda proposita alacrem se quisque vestrum sit praestiturus. Qua quidem in re illud pro comperto habemus longe maiora posse e consiliis vestris emolumenta derivari si, quemadmodum a Concilio Plenario Americano decernitur, in statum tempus et modum coetus vestri instaurentur, atque ea ad deliberandum proponantur quibuscum coniuncta vehementer est fidelium vestrorum utilitas, velut studium eorum augendi numerum qui sint in sortem Domini vocati; institutio ac doctrina adolescentium sacri ordinis; consulta ac perfecta, ut par est, virium catholici nominis ratio; errorum christianae veritati repugnantium reiectio; sacrarum in orientalem Peruviam expeditionum cura et progressio. Haec nimirum sunt, Venerabiles Fratres, quae, magno cum fructu futura, Nobis polliceri posse videmur, quum industriam vestram pastoralemque sollicitudinem perspectam probe teneamus. Auspicem divinorum munerum, Nostraeque benevolentiae testem. Apostolicam benedictionem unicuique vestrum cleroque et populo vobis concredito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Augusti MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

TERRITORIVM PVNAE DE ACATAMA

IN REPVBLICA ARGENTINA

IVRISDICTIONI SVBIICITVR EPISCOPI SALTENSIS

—

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Fidelium preces, praesertim quae ad salutem animarum magis intendere possunt, libenter excipimus, eosque favoribus et gratiis, prout in Domino salubriter expedire conspicimus, prosequimur opportunis. Itaque ex parte dilectorum Nobis in Christo filiorum perillustrium virorum Praesidis et Magistratus Reipublicae Argentinae preces Nobis allatae retulere, quod inter continua iuga Montium Americae Meridionalis, qui *Los Andes* vocantur, quoddam existit territorium quod sub nomine *Punae de Acatama* designatur, mille et centum incolarum circiter constans, quodque iacet inter gradum vicesimum tertium et vicesimum sextum latitudinis, et protenditur usque circiter millia sexaginta quatuor et nongenti kilom., quodque

antea sub natione Reipublicae Bolivianae comprehendebatur, et post varias vicissitudines cessit in potestatem et dominium Reipublicae Argentinae, ita tamen ut spirituali iurisdictioni Venerabilis Fratris Nostri Archiepiscopi de Plata Bolivianae Reipublicae addictum, ut prius erat, subiectumque permaneret. In hoc autem rerum statu praedicti dilecti filii Nostri Praeses et Magistratus Reipublicae Argentinae praefatae a Nobis obsequiose postularunt, ut memoratum territorium exemptum etiam a spirituali iurisdictione praefati Archiepiscopi de Plata in Republica Boliviana uniri et incorporari alicui dioecesi conterminae ipsi Argentinae Reipublicae de Apostolicae potestatis plenitudine dignaremur, et ad hanc rem, si Nobis placuerit, dioecesim Saltensem, cuius Episcopali regimini subiiceretur, designarunt, censentes per hanc dismembrationem a iurisdictione praefati Archiepiscopi de Plata et unionem dioecesi propinquiori territorio *de Puna de Acatama* hodie *Gobernacion de los Andes* vocato, tum promptiorem reddi posse Pastoris curam ad spiritualia auxilia fidelium necessitatibus afferenda, tum ad quamlibet perturbationum occasionem amovendam cum finitima Republica Boliviana. Nos igitur ad ea, quae spirituali animarum bono atque utilitati summopere prosunt, quantum in Domino possumus, consulere volentes, atque omnibus et singulis, quae in huiusmodi negotiis animadvertenda sunt, maturo studio ac deliberatione perpensis, attentis omnibus Nobis, ut superius, expressis, spectata animarum utilitate exinde oritura, et Pastorum non minus quam fidelium

quieti et utilitati stabili modo consulere volentes, cumque suum ad hoc Ordinarii, in huiusmodi negotio interesse habentes, respective consensum praestiterint, nec non omnes et singulos quibus hae litterae favent, ex quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, et novum aliquod Nostrae benevolentiae pignus Reipublicae Argentinae exhibere cupientes, Motu proprio et ex certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine memoratum territorium, situm inter continua iuga montium Americae Meridionalis, quae vocantur *Los Andes* quodque *Puna de Acatama*, hodie *Gobernacion de los Andes* appellatur, cum omnibus et singulis, in eo existentibus et commorantibus, ab ordinaria iurisdictione praefati Venerabilis Fratris Nostri Archiepiscopi de Plata, cui actu subiectum est, Apostolica auctoritate dividimus et dismembramus, et in perpetuum dioecesi Saltensi Reipublicae Argentinae unimus et addicimus, ita ut idem territorium de Acatama in posterum subiectum sit praefato Episcopo Saltensi, prout hactenus subiectum fuit memorato Archiepiscopo de Plata Reipublicae Bolivianae. Praesentes autem litteras et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel defectu, aut quavis ex causa quantumvis iuridica, legitima, pia et privilegiata, etiam ex eo quod causae propter quas praemissa emana-

runt adductae, verificatae seu iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostrae aut quovis alio, quantumvis magno substantiali, substantialissimo, et inexcogitato ac inexcogitabili, ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente, defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, colore vel praetextu, aliave ratione aut causa, etiam tali, quae ad effectum validitatis earumdem praesentium necessario foret exprimenda, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, vel etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato, quempiam uti seu se iuvari posse in iudicio et extra illud, ac eas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque Litteras et Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae regulas editas vel edendas, minime comprehendi, vel comprehensas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus

sortiri et obtinere, et ita ab omnibus censeri, ac firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias, per quoscumque Iudices, ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, vice Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate et facultate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca, ut haec omnia a Nobis superius constituta suum plenum sortiantur effectum, Venerabili Fratri Nostro Antonio Sabatucci hodierno titulari Archiepiscopo Antinoënsi, Delegato Nostro Apostolico apud Rempublicam Argentinam, per ipsas praesentes committimus atque mandamus, ut ipse ad executionem praemissorum omnium et singulorum procedat, omnes et singulas ad id quomodolibet necessarias et opportunas ei impertiendo facultates, facta eidem insuper potestate quamcumque aliam personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegandi, ita tamen ut ipse Antonius Archiepiscopus vel subdeleganda persona possit definitive pronunciare super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula, de iure quaesito non tollendo, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque etiam in syno-

dalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, ac Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatem omnium et singulorum praemissorum, pro hac vice dumtaxat. motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Antonius Archiepiscopus infra tres menses authentica exemplaria actorum omnium, quae ad commissam executionem explendam ipse erit emissurus, ad hanc Apostolicam Sedem transmittere teneatur. Volumus etiam quod praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus

fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, institutionis, disiunctionis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, declarationis, subiectionis, constitutionis, voluntatis, impertitionis, indulti, praecepti, reservationis, mandati, decreti, derogationis, aliorumque praemissorum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo secundo, tertio nonas Septembris, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

ARSENIO PELLEGRINI

ABBATI MONASTERII AD CRYPTAM FERRATAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ex tuis litteris libenter accepimus, egregios quosdam una tecum viros, auspice dilecto filio Nostro Cardinali Episcopo Tusculano, inivisse consilium solemnibus laetitiis celebrare nonum, quod non multo post conficietur saeculum, ex quo vir sanctissimus Nilus cum aliis graecis monachis in agro Tusculano considens, prima Coenobii ad Cryptam Ferratam fundamenta posuit; illudque post beatam quam proxime obivit mortem, sui corporis exuviis nobilitavit. Decet sane filios patrum gloriam recolere, propositisque honestissimis eorum exemplis posterorum animos ad virtutem erigere. — Neque haec una est Nobis causa cur proposito vestro assentiamur. Mittimus litterarum et bonarum artium ornamenta, quibus Tusculanum

Monasterium se hominum memoriae commendat. Mittimus, quod maius est, religiosarum virtutum laudes, quae hoc potissimum tempore merito sunt extollendae, quum eae acrius impetuntur. Sed maxime memoratu dignum illud est, quod cum multis aliis exemplis, tum in hoc proxime celebrando eventu praeclare elucet; testimonium sollicitudinis ac propensissimae voluntatis, quam erga dissitos Orientis filios Romani Pontifices omni tempore demonstrarunt. Sane non semel eos propter temporum difficultates e patria extorres liberali hospitio, Romanis Pontificibus auctoribus, Italia excepit; plures saepe eorum, praesertim ex monastica disciplina, in hanc Almam Urbem veluti in ipsum communis Matris sinum confugientes, tutis ac locupletibus sedibus decessorum Nostrorum benevolentia donavit. — Verum inter ceteros quos latina tellus aluit veluti orientalis pietatis flores, non ultimum sibi locum vindicat Tusculanum Coenobium, quod in ipso Urbis conspectu sub Romanae Sedis tutela adolevit, et emenso feliciter plurium saeculorum spatio, adhuc veteris unitatis monumentum exstat. Quod ipsum quibus Nos curis prosequuti simus, tuis litteris grato erga Nos animo recolis. Nec iniucunda Nobis nec vacua spei recordatio. Cum enim istic ad puritatem graecae disciplinae restitui sacros ritus iussimus, aliaque providimus quae ad eius incrementum utiliter conferrent, longius animus prospiciebat Noster. Apostolica caritate scilicet complexi nobiles populos e gremio Ecclesiae olim misere avulsos, id spectabamus, ut eos ad incolumitatem fidei et unitatis recuperandam invitaremus.

Nostris quidem studiis monachorum opera non defuit; utinam maiorem illam spem Nostram aliquando felix rerum exitus compleat. — Interim pro ea qua istud nobile litterarum ac religionis domicilium fovemus benevolentia, incoeptum vestrum ultro probantes, auspicem divinorum munerum Apostolicam benedictionem tibi, universis Coenobii monachis, aliisque egregiis viris tecum ad propositum consilium exequendum adlaborantibus, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Septembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

PRAEFECTVRA APOSTOLICA ZANGVEBARIAE MERIDIONALIS

IN AFRICA ORIENTALI

IN VICARIATVM APOSTOLICVM ERIGITVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, qui suprema sibi divinitus commissa in universam Ecclesiam auctoritate pollent, catholicas Missiones, quibus fidei concreditur incrementum, alacri iugiter studio provehere, et iis, quas aucto christifidelium numero ceteris praestare norint, peculiaria iura pro re ac tempore addere consueverunt. Quum autem compertum habeamus, Missionarios Congregationis Benedictinae a sancta Octilia nuncupatae, quibus commissa est cura evangelizandi Praefecturam Apostolicam Zanguebariae meridionalis in Africa orientali, ita munus apostolicum explesse, ut, divina favente gratia, brevi tempore per Praefecturam late Dei verbum disseminassent, plures erexissent stationes, atque haud parvum incolarum numerum Christi iugo submisissent, unde merito firmior exurgit

spes uberioris in posterum rei catholicae incrementi, peropportunum duximus, omnibus rei momentis sedulo perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, Apostolicam eamdem Praefecturam ampliore titulo ac privilegiis cohonestare. Quare omnes et singulos, quibus hae Nostrae Litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, Praefecturam Apostolicam Zanguebariae meridionalis in Africa orientali, servatis adamussim quibus in praesentiarum circumscribitur confiniis, ac nomine retento Zanguebariae meridionalis, in Vicariatum Apostolicum cum omnibus et singulis iuribus, honoribus, privilegiis, indultis, quae ad huiusmodi Vicariatus Apostolicos pertinent, erigimus et instituimus. Decernentes has Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus

et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XV Septembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

A. CARD. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
PRO NOVA RERVM PVBLICARVM
IN INSVLIS PHILIPPINIS CONDITIONE
PLVRA CONSTITVVNTVR
REI CATHOLICAE TVTANDAE AC PROVEHENDAE

—

LEO PP. XIII

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae, mari sinico oceanoque pacifico circumfusae, latissime patent insulae, atque a Philippo II Hispaniarum rege Philippinarum nomen sunt mutuatae, vix ab Hernando de Magalhanes, saeculo XVI ineunte, apertae sunt, statim, Crucis sanctissimae simulacro defixo in litore, et Deo sunt consecratae et catholicae religionis quaedam veluti libamenta habuerunt.

Ex illo, Romanis Pontificibus, accedente Caroli V ac Philippi eius filii hispanorum Regum egregio dilatandae fidei studio, nihil antiquius fuit, quam ut insulanos illos, idolatrico cultu viventes, ad Christi fidem traducerent. Quod cum, opitulante Deo, religiosis diversarum familiarum alumnis strenue adnitentibus, secundissime cederet,

eo perbrevi annorum spatio deventum est, ut Gregorius XIII de praeficiendo adolescenti ecclesiae Antistite cogitarit, ac Manilanum Episcopatum instituerit. Coeptis felicibus, quae postmodum secuta sunt incrementa plenissime responderunt. Concordibus enim decessorum Nostrorum atque Hispaniarum Regum industriis, deleta servitus, incolae litterarum atque artium disciplinis ad humanitatem exculti, templa sumptu magnifico erecta et instructa, auctus dioecesium numerus; ut Philippinarum gens et ecclesia merito excelleret splendore civitatis, religionis dignitate atque studio. Sic nempe, Regum hispanorum tutelâ, datoque illis a Romanis Pontificibus patronatu, recte atque ordine in Philippinis Insulis res catholica gerebatur. Verum quam illic armorum exitus publicae rei conversionem haud ita pridem attulit, pariter et sacrae intulit. Nam, dimissa ab Hispanis ditione, patronatus etiam hispanorum Regum desiit. Quo factum est ut Ecclesia in potiorem libertatis conditionem devenerit, parto quidem cuique iure salvo atque incolumi. — Huic porro novae rerum conditioni, ne inde vigor ecclesiasticae disciplinae in discrimen veniret, qui modus agendi, quae temperatio responderet, nulla mora atque sedulo inquirendum fuit. Hanc ob rem, Venerabilem Fratrem Placidum Ludovicum Chapelle, Novae Aureliae Archiepiscopum, Delegatum Nostrum, extraordinario munere, in Philippinas Insulas misimus, qui, rebus coram inspectis, quaeque moram et sustentationem non haberent, ordinatis, ad Nos referret. Delatum officium is quidem pro fiducia Nostra explevit; dignus

propterea quem merita honestemus laude. Postea contigit ex auspicato ut regimen civitatum Americae Foederatarum per legationem singularem cum hac Sancta Sede consilia directe conferre susceperit circa modum nonnullas rem catholicam in Philippinis Insulis respicientes quaestiones dirimendi. Coeptis libenti quidem animo fovimus, et negotiatorum navitate ac moderatione iuvantibus, facile patuit aditus ad compositionem quae nunc ipso in loco curanda erit. Quae igitur, auditis sententiis nonnullorum S. R. E. Cardinalium sacrae Congregationis extraordinariis negotiis praepositae, diuturnoque consilio agitata Ecclesiae rationibus in Philippinis Insulis conducere maxime visa sunt, praesenti Constitutione Apostolica edicimus et publicamus, sperantes fore ut, quae Nos suprema auctoritate constituimus, publici Regiminis aequitate ac iustitia favente, studiose sancteque observentur.

I. — *De nova dioecesium circumscriptione.*

Primum igitur de Hierarchia sacra amplificanda mens est ac propositum. Constituta quidem, ut diximus, a Gregorio XIII Manilana dioecesi, aucto sensim fidelium coetu tum indigenarum, qui catholica sacra susciperent, tum ex Europa advenarum, Clemens VIII Episcoporum numerum, qui praeessent, augendum censuit. Quare Manilanam Ecclesiam Archiepiscopali titulo honestavit eidemque, tribus institutis dioecesibus, Episcopos Cebuanum, Cacerensem ac Neosegoviensem suffraganeos esse voluit. His porro,

anno MDCCCLXV, additus est Episcopatus Iarensis. Attamen dioecesium harum ea est amplitudo ut, ob intervallum quo loca dissociantur, atque itinerum difficultatem, vix contingat Episcopis illas nisi summo labore quoquoversus lustrare. Quamobrem suadet necessitas ut, nacti opportunitatem temporum, antiquas dioeceses arctiori termino definiamus, aliasque de integro addamus. Eapropter, Manilano Archiepiscopatu ac dioecesibus Cebuana, Cacerensi, Neosegoviensi et Iarensi servatis, quatuor insuper adiicimus et instituimus dioeceses; Lipensem videlicet, Tuguegaraoanam, Capizanam et Zamboangensem, universas, ut ceterae, Manilanae Metropoli suffraganeas. In Marianis praeterea Insulis Praefecturam Apostolicam creamus, quae Nobis ac successoribus Nostris, auctoritate nulla interposita, pareat.

II. – *De Metropolita deque Suffraganeis Episcopis.*

Metropolitani titulo, qui potiatur, in Philippinis Insulis unus esto, Archiepiscopus Manilanus; episcopos ceteros, tum qui antiquas obtinent sedes, tum qui recens institutas tenebunt, eidem subesse oportet, suffraganei officio atque nomine. Quibus vero iuribus Metropolita fruatur quibusque polleat muneribus, ecclesiasticae leges, quae modo vigent, edicunt. Quas quidem dum leges inviolate servari volumus, volumus etiam Metropolitanum inter et suffraganeos integra esse semper sanctae amicitiae et caritatis vincula, eaque officiis mutuis, consiliorum communicatione

atque episcopalibus praesertim coetibus pro locorum intervallis frequentius agendis, arctius in dies firmari et obstringi. Maximarum enim utilitatum parens est atque custos animorum concordia.

III. – *De Capitulo Metropolitano deque Capitulis Ecclesiarum suffraganearum.*

Canonicorum collegio honestari Ecclesiae Metropolitanae decus et splendor postulat. Quae vero stipendia Canonicis singulis, elapso tempore, ab hispano regimine numerabantur, unde in posterum peti debeant, Delegatus Apostolicus videbit ac suggeret. Quod si, redituum exiguitate, numerus Canonicorum, qui adhuc fuit, servari haud quiverit, sic ad pauciores contrahatur, ut, minime subductis iis qui dignitatum nomine veniunt, ad decem saltem censeantur. Archiepiscopus autem tum dignitates dictas et Canonicatus, tum universa, quae in Ecclesia Metropolitana sunt, beneficia privo liberoque iure conferet: iis quidem exceptis, quae vel communi lege Sedi Apostolicae reservantur, vel in cuiusvis patronatu sunt, vel concursus conditione obstringuntur. In ceteris porro cathedralibus templis constitui Canonicorum collegia vehementer optamus. Quod quamdiu perfici haud poterit, Episcopi viros aliquot, pietate, scientia, gerendarum rerum usu conspicuos, e gemino clero delectos, Consultores habeant, prouti scilicet in dioecesibus aliis, Canonicorum coetu similiter carentibus. Ne vero in eiusmodi cathedra-

libus aedibus, quae Capitulo carent, sollemnium sacrorum dignitas desideretur, Consultores, quos modo diximus, Episcopo operanti adstabunt. Qui si ratione aliqua praepediantur, Episcopus alios e clero cetero, tam saeculari quam regulari, digniores sufficiet.

IV. – *De Sede vacante in dioecesibus suffraganeis.*

Dioecesis suffraganea quaevis, Collegio Canonicorum exspers, si Episcopo orbari contigerit, eam Metropolita administrandam suscipiet: qui si deerit, propinquiori Episcopo procuratio obveniet, ea tamen lege ut Vicarius quamprimum eligatur. Interea vero demortui Episcopi Vicarius generalis dioecesim moderetur.

V. – *De clero saeculari.*

Quoniam experiendo plane compertum est, clerum indigenam perutilem ubique esse, curent diligenter Episcopi ut indigenarum sacerdotum numerus augeri valeat; ita tamen ut illos antea ad pietatem omnem ac disciplinam instituant, idoneosque norint, quibus ecclesiastica munia demandentur. Quos vero usus et experientia praestantiores ostenderit, eos ad potiores procurationes gradatim advocent. Id vero maxime commendatum habeant qui in clero censentur, ne abripi se partium studiis unquam sinant. Quamvis enim communi lege sit cautum, ne qui militat Deo se implicet negotiis saecularibus; peculiari

tamen modo, ob temporum rerumque adiuncta, hoc in Philippinis insulis ab hominibus sacri ordinis devitandum ducimus. Praeterea, quoniam animorum coniunctio praecipua vis est ad grandia quaevis atque utilia perficienda, eam, pro religionis bono, sacerdotes omnes, nulla exceptione, sive e saeculari clero sint, sive in religiosis familiis censeantur, inter sese studiosissime foveant. Decet sane ut qui unum sunt corpus unius capitis Christi, non sibi invicem invideant, sed unius sint voluntatis, caritate fraternitatis invicem diligentes. Cui quidem caritati provehendae, disciplinaeque simul vigori servando, meminerint Episcopi prodesse plurimum synodales conventus subinde cogere, pro opportunitate locorum ac temporum. Quod si faxint una erit facile omnium sentiendi ratio unaque agendi. Ne vero conceptus semel ardor in cleri hominibus deferveat, et ut virtutes sacerdotio dignae retineantur et crescant, pium spiritualium Exercitiorum institutum vel maxime conducit. Curent idcirco Episcopi ut quotquot in sortem Domini vocati sunt, tertio saltem quoque anno, in opportunum locum ad aeternarum rerum meditationem secedant, quo scilicet acceptas a mundano pulvere sordes eluant et ecclesiasticum spiritum instaurare queant. Satagendum insuper est, ut sacrarum disciplinarum studium frequenti exercitatione in clero vigeat: *Labia enim sacerdotis custodient scientiam,* quo nempe docere possit fideles, qui *legem requirent de ore eius.* Nihil vero ad hunc finem aptius quam collationes habere saepius, tum de re morum, tum de liturgicis quaestionibus. Quod si

asperitas itinerum, contractus sacerdotum numerus, aliaeve id genus causae conventus eiusmodi ad disceptandum impediant; optimum factu erit, si ab iis qui coetui interesse nequeunt praepositae quaestiones scripto enodentur et Episcopis statuto tempore submittantur.

VI. – *De Seminariis.*

Quanti faciat Ecclesia adolescentium Seminaria, qui in cleri spem educantur, perspicere licet ex Tridentinae Synodi decreto, quo ea primum sunt instituta. Oportet idcirco Episcopos omnem operam industriamque impendere ut domum in sua quisque dioecesi habeat, in quam tirunculi militiae sacrae a teneris recipiantur atque ad vitae sanctimoniam et ad minores maioresque disciplinas formentur. Consultius autem erit si adolescentes, qui litteris student, aliis utantur aedibus; aliis vero iuvenes, qui, litterarum cursu emenso, in philosophiam ac theologiam incumbunt. Utrobique autem alumni perpetuo degant quoad sacerdotio, si meriti quidem fuerint, initientur; nulla unquam, nisi ex gravi causa, facultate facta ad suos remeandi. Seminarii regimen Episcopus optimo cuique demandet, sive e saeculari clero sive e regulari, qui scilicet regendi prudentia usuque praestet vitaeque sanctitate praecellat. Quae autem a Nobis Nostrisque decessoribus saepe sunt edicta, abunde docent quo pacto quove modo in sacris Seminariis studia sint ordinanda. Sicubi vero Seminarium desit, Episcopus alumnos dioecesis suae

in viciniorum dioecesium Seminariis educandos curabit. Nulla insuper ratione permittant Episcopi ut Seminarii aedes ulli pateant, nisi iis adolescentibus qui spem afferant sese Deo per sacros ordines mancipandi. Qui vero ad civilia munia institui volent, alias, si res sinunt, obtineant aedes, quae convictus vel collegia episcopalia nuncupentur. Illud denique cavendum summopere, ex Apostoli praecepto, ne cuipiam Episcopi cito manus imponant; sed eos tantum ad sacra evehant, sacrisque tractandis adhibeant, qui diligenter explorati, debitaque scientia ac virtute exculti, ornamento dioecesi usuique esse possint. E Seminario autem egressos ne sibi permittant penitus; sed, ut vitent otia nec sacrarum scientiarum studia intermittant, consilium est quam optimum illos, quinquennio saltem a sacerdotio suscepto, periculo quotannis subiicere de re dogmatica et morum, coram doctis gravibusque viris faciendo. Quia vero aedes Romae patent etiam iuvenibus e Philippinis insulis qui maioribus disciplinis dare operam velint; pergratum Nobis eveniet si Episcopi delectos subinde adolescentes huc mittent, qui religionis scientiam, in ipso veritatis centro acquisitam, cum suis deinde civibus utiliter communicent. Sancta autem haec Sedes pro sua parte curabit opportunis modis ad potiorem culturam melioremque ecclesiasticam formam clerum saecularem provehere ita ut apto tempore reperiatur idoneus qui cleri regularis partes in pastoralis muneris procuratione suscipiat.

VII. – *De religiosa puerorum eruditione deque Manilana studiorum Universitate.*

Verum non ad ecclesiastica solum seminaria Episcoporum industrias spectare oportet: adolescentes enim e laicorum ordine, qui scholas alias celebrant, eorum etiam curis et providentiae demandantur. Est igitur Antistitum sacrorum officium omni ope adniti, ut puerorum animi, qui publice litteris imbuuntur, religionis scientia ne careant. Quae ut rite tradatur, videant Episcopi ac perficiant ut et magistri tanto muneri sint pares, et libri qui adhibentur nulla inficiantur errorum labe. Quoniam autem de scholis publicis sermo incidit, Lyceum magnum Manilanum, a Dominicianis Sodalibus Innocentii X auctoritate conditum, merita sine laude praeterire nolumus. Quod, quia doctrinae integritate praestantiaque doctorum floruit semper, neque exiguas peperit utilitates, non modo ab Episcopis omnibus benevole haberi cupimus, sed in tutelam Nostram Nostrorumque Successorum ultro recipimus. Quare, privilegia et honores a Romanis Pontificibus Innocentio X et XI et Clemente XII eidem concessa plenissime confirmantes, illud Pontificiae Universitatis titulo augemus, quique gradus academici in eo conferuntur, eamdem vim habere volumus, quam in ceteris Pontificiis Universitatibus obtinent.

VIII. – *De Regularibus.*

Opportunitatibus novi in regione illa rerum ordinis concedens, Sancta haec Sedes Apostolica statuit tempestivis provisionibus religiosis viris adesse, qui redire intendunt ad vitae rationem sui Instituti propriam, deditam nempe omnino sacri ministerii operibus, bonorum in vulgus morum profectui, rei christianae civilisque pacifici convictus incremento. Alumnis ergo religiosarum familiarum enixe commendamus, ut quae, nuncupatis votis, officia susceperunt, sancte impleant, *nemini ullam offensionem dantes.* Praecipimus ut clausurae leges inviolate servent: quapropter teneri omnes volumus decreto illo, quod, editum a Congregatione super Episcopis et Regularibus die XX Iulii MDCCXXXI, Clemens XII decessor Noster Litteris apostolicis *Nuper pro parte* die XXVI Augusti eiusdem anni confirmavit. Clausurae autem ea sit norma iique sint fines, quae decreto alio edicuntur, a sacra Congregatione Propagandae Fidei die XXIV Augusti MDCCLXXX, Pio VI approbante, interposito. Ceterum Religiosi viri, quotquot in Philippinis versantur, illos summopere revereri atque observare meminerint, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam:* et arctissimo concordiae et caritatis foedere cum saeculari clero coniuncti, nihil antiquius habeant quam in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, sociatis studiis, vires omnes intendere. Porro ut dissensionum elementa penitus eradantur, in Philippinis etiam Insulis

observari in posterum volumus Constitutionem *Firmandis* a Benedicto XIV datam VIII idus Novembris MDCCXLIV, itemque aliam *Romanos Pontifices*, qua Nos VIII idus Maii MDCCCLXXXI nonnulla controversiarum capita inter Episcopos et Missionarios Regulares in Anglia et Scotia definivimus.

IX. – *De Paroeciis.*

Quae Paroeciae curionibus e Religiosis Familiis sint demandandae Episcopi videant, collatis sententiis cum earumdem Familiarum Praesidibus. Quod si quaestio de ea re oriatur, nec privatim componi queat, caussa ad Delegatum Apostolicum deferatur.

X. – *De Missionibus.*

Ad cetera argumenta, quibus, Ecclesia magistrâ, opportune cavetur ne fides morumque integritas aliaque ad aeternam animorum salutem pertinentia detrimentum capiant, accedunt equidem summaeque sunt utilitatis spiritualia Exercitia, quaeque vulgo Missiones audiunt. Optandum quapropter omnino est ut, in provinciis singulis, singulae saltem condantur domus, octo plus minus Religiosis viris excipiundis, quibus sit unice praestitutum urbes subinde ac pagos lustrare, dictaque modo ratione sacris concionibus populos excolere. Quod tamen, si fidelibus utile, necessarium profecto illis est, qui Evangelii

lucem nondum hauserunt. Ubi igitur agrestes adhuc gentes occurrunt immani idolorum cultui addicti, sciant Episcopi et sacerdotes teneri ad earum conversionem curandam. Quare inter illas etiam stationes fundentur pro sacerdotibus qui apostolico munere fungantur, nec solum idololatras ad christiana sacra traducant, verum etiam pueris instituendis dent operam. Hae porro stationes sic erunt ordinandae ut deinde opportuno tempore ad Praefecturas vel Vicariatus Apostolicos evehi queant. Ne autem qui ibidem sacris occupantur necessaria ad victum promovendamque fidem desiderent, hortamur ut in dioecesi quaque, incolumi quidem Lugdunensi Instituto, quod a Propagatione Fidei appellatur, peculiares coetus instituantur virorum ac feminarum, qui fidelium symbolis colligendis praesint, collectasque Episcopis tradant, Missionibus aequo iure ex integro distribuendas.

XI. – *De disciplina ecclesiastica.*

Conciliandae clero fidelium existimationi nihil conducit efficacius, quam, si quae sacerdotes docent verbo, ea simul opere compleant. Cum enim, ut Tridentina Synodus inquit, a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos vitam moresque suos omnes componere ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant;

levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Sed enim pro hac disciplinae ecclesiasticae instauratione proque plena Constitutionis huius Nostrae executione Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Guidi, Archiepiscopum Stauropolitanum, Delegatum Apostolicum extraordinarium ad Philippinas Insulas mittimus, Personam Nostram illic gesturum. Cui propterea opportunas tribuimus facultates; insuper etiam in mandatis dedimus ut provincialem Synodum, quam primum per adiuncta licuerit, indicendam ac celebrandam curet.

XII. – *Animorum pacificatio ac reverentia in eos qui praesunt habenda.*

Restat modo ut ad Philippinarum incolas universos paterna caritate sermonem convertamus, eosque maiore qua possumus contentione hortemur, ut unitatem servent in vinculo pacis. Postulat hoc christianae professionis officium: *Maior est namque fraternitas Christi quam sanguinis: sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animaeque demonstrat, sicut scriptum est: Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una* [1]. Postulat religionis bonum, quae prima fons et origo fuit earum laudum, quibus Philippinarum gentes superiore tempore floruerunt.

[1] Act. IV, 32.

Postulat denique sincera caritas patriae, quae ex publicis perturbationibus nil nisi damna capiet ac detrimenta. Eos qui imperium tenent, ex Apostoli praescripto, revereantur, *omnis enim potestas a Deo est.* Et quamvis longinquo oceani spatio a Nobis seiuncti, sciant se esse in fide Apostolicae Sedis, quae sicut illos peculiari complectitur dilectione, tutandarum ipsorum rationum nunquam curam abiiciet. — Decernimus tandem has Nostras Litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere, ac inviolabiliter observari debere, non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus sanctionibus, nec non veterum sedium Philippinarum et Missionum inibi constitutarum et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis, iuramento etiam, confirmatione Apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis; quibus omnibus, quatenus supra dictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi, ipso hoc diplomate

ostenso, haberetur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, constitutionis, restitutionis, dismembrationis, suppressionis, adsignationis, adiectionis, attributionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVII Septembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

A. CARD. MACCHI

DECRETVM

DE CHORALI DISCIPLINA IN VRBE

—

Postremis hisce temporibus, quod valde dolendum est, in ecclesiis collegiatis Urbis, atque adeo in ipsis patriarchalibus basilicis, chorale servitium paullatim elanguit; ita ut, deficiente in divini officii recitatione et ritibus obeundis congruo capitularium numero, sacrae functiones non raro sine ea dignitate et splendore peragantur, quem divinus cultus, maxime in Urbe catholici nominis principe, exposcit.

Id non una ex causa factum, sed potissime ex mutata conditione temporum; unde novae variaeque in dies pro Ecclesia et animarum bono necessitates extiterunt; hinc sacerdotes in multis rebus distracti, exemptiones choralis servitii multiplicatae, atque etiam quandoque, praepostera adhibita interpretatione, plus aequo extensae.

Huic occurrens malo Ssm̃us D. N. Leo PP. XIII, cum, pro ea quam gerit Romanae Ecclesiae prae omnibus aliis paternam atque apostolicam sollicitudinem, velit divini cultus iura integre in Urbe servari, simulque publicis aliis privatisque necessitatibus quantum fas est satisfieri,

inhaerendo vestigiis Decessorum suorum, ac praesertim Pii IV, Innocentii XII et Pii VII, sequentia statuit ac decernit:

I.

Die XXIV proximi mensis Decembris, in pervigilio Natalis D. N. I. C., ad primas vesperas omnia et singula indulta choralia, sive in favorem personae, sive institutorum et piorum operum causa, sive quorumdam munerum ratione, quomodolibet et quocumque titulo concessa, privilegiis quibuslibet non obstantibus, cessabunt, nullius proinde valoris futura, et nemini amplius suffragatura.

II.

Ad exemptiones a choro in posterum assequendas qui legitimam causam habebunt, preces ad sacri Concilii Congregationem adhibeant; quam Ssmus D. N. ad has expediendas gratias unice et exclusive deputat, adeo ut indulta aliter, quolibet modo, etiam vivae vocis oraculo, impetrata, nullius valoris ceu obreptitia et subreptitia aestimari oporteat.

III.

Quoties autem sacri Concilii Congregatio pro concedendis indultis capituli votum requiret, illud per secreta suffragia exprimendum exigat.

IV.

Cum ex motu proprio *Cum sicut accepimus,* a Pio IV P. M. XII calendas Decembris anno MDLX edito, omnes et singuli reditus ad capitula tam patriarchalium basilicarum, quam aliarum quarumcumque ecclesiarum Urbis spectantes, in quotidianas distributiones dividendi sint, canonicae sanctiones hac de re vigentes et a sacri Concilii Congregatione saepius ac praesertim in *Valvensi* XXIV Novembris MDCCCXXXVIII confirmatae, integre et adamussim etiam in Urbe serventur. Idcirco, quacumque contraria consuetudine, quae forte inoleverit, sublata et abolita, in posterum universi fructus ad memorata capitula spectantes in quotidianas distributiones pro diebus et horis erunt ex integro partiendi.

Quare absens sine legitima causa eos omnes fructus amittet, et si quos forte perceperit, ad restitutionem tenebitur, salvis tamen particularibus constitutionibus, ex quibus maior poena irrogetur.

Absens autem ex legitima causa, si ex infirmitate aliove iusto titulo, debito modo ac forma recognito, tamquam praesens in choro pro lucrandis distributionibus reputetur, quotidianas distributiones ex toto percipiet: si vero iuxta iuris censuram praesens in choro non habeatur, duas partes, quae locum praebendae obtinent, utique acquiret, tertiam tamen amittet.

V.

Ad hanc ultimam classem absentium pertinent adiutores sacrarum Congregationum, qui ut huic muneri vacent absentiae indultum assequuti sint. Ideoque hi duas partes quotidianarum distributionum lucrabuntur, pro diebus et horis dumtaxat, quibus suorum officiorum causa a choro aberunt; tertiam vero amittent, prout sacri Concilii Congregatio expresse statuit in causa *Dubia indultorum* die VI Maii MDCCCXX *ad tertium Dubium*, et confirmavit, re denuo discussa, die XXV Maii MDCCCXXII. Quas resolutiones Ssmus D. N. ad plenam observantiam revocat, et quatenus opus sit, renovat et confirmat, singulorum, ad quos spectat, conscientia arcte hac de re onerata.

VI.

Distributiones extraordinarias, quae *inter praesentes* vulgo dici solent, nemo ex absentibus unquam percipiet, quolibet privilegio et indulto in contrarium cessante, prout cautum est sub *num. I* praesentis decreti, salvis tamen diversis piorum fundatorum praescriptionibus.

VII.

Indulta, quae aestivo tempore valetudinis curandae gratia concedi solent, unius mensis spatio continebuntur, salvo tamen antiquo Lateranensis basilicae privilegio.

VIII.

Privilegium Lauretanae peregrinationis pro capitulis eo fruentibus ad dies octo reducitur, peregrinationis autem Hierosolymitanae ad tres menses.

Denique in iis omnibus de quibus praesens decretum non cavet, Sanctitas Sua vult et mandat, ut sacrosancti Tridentini Concilii praescripta et sacrae Concilii Congregationis resolutiones ad choralem disciplinam regendam editae, ad unguem ab omnibus ex conscientia serventur.

Et haec omnia praesenti ipsius sacrae Congregationis decreto publicari, atque inviolate custodiri iussit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae ex sacra Congregatione Concilii die XVII Septembris MDCCCCII.

† VINCENTIVS CARD. EPISC. PRAENESTINVS, *Praefectus.*

† BENIAMINVS Archiep. Nazianzenus, *Secretarius.*

DECRETVM

QVO ABBATIA SANCTI SILVESTRI DE NONANTVLA
PROVINCIAE ECCLESIASTICAE MVTINENSI
IN PERPETVVM VNITVR

Ex decreto sacrae Congregationis Consistorialis die XV Decembris anno MDCCCXX dato, et ex Litteris Apostolicis in forma Brevis desuper expeditis constitutum fuit, ut Episcopus Mutinensis pro tempore, eiusque in Episcopatu successores Abbatiam seu Monasterium sancti Silvestri de Nonantula nullius dioecesis, per Decretum sacrae Congregationis Consistorialis expediendum, in Commendam obtinerent, atque uno eodemque tempore utrique dioecesi et territorio respectivis, ex speciali Apostolica dispensatione, praesiderent. Praefati autem Monasterii Commenda vacante per obitum Francisci Mariae Estensis Episcopi Regiensis, et eiusdem Monasterii Abbatis Commendatarii, iuxta Apostolicae Sedis praescripta idem Monasterium Episcopo tunc Mutinensi per Decretum Consistoriale die VI Iunii anno MDCCCXXI datum, et per Litteras Apostolicas sub plumbo expeditas, collatum in Commendam fuit. Cum autem praedicta Abbatia seu Monasterium sancti Silvestri de Nonantula iuri Metropolitico Archiepiscopalis Sedis Ravennatensis

subiectum et addictum appelletur et habeatur, R. P. D. Natalis Bruni actu Archiepiscopus Mutinensis et praefati Monasterii ex dispensatione Apostolica Abbas Commendatarius per litteras datas die v Iunii hoc anno, Ravennatensi Sede vacante, Ssño Dño Nostro Leoni PP. XIII humiliter supplicavit, ut ad decus tuendum Archiepiscopalis Mutinensis Sedis, quae Metropolitanam dignitatem obtinet, cuius Archiepiscopus uti Abbas Commendatarius Monasterii sancti Silvestri de Nonantula nullius dioecesis ex speciali Apostolica dispensatione, uno eodemque tempore utrique dioecesi et territorio praesidet, atque ad occasionem cuicumque incommodo penitus praecludendam, praefatum Monasterium ab ecclesiastica provincia Ravennatensi dismembrare et avellere, et provinciae ecclesiasticae Mutinensi aggregare et unire auctoritate Apostolica in perpetuum dignaretur. Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis, iustisque causis animum suum moventibus, postulationem Archiepiscopi Mutinensis benigno favore prosequendam duxit, et quamquam ex certis ac plena auctoritate pollentibus documentis compertum sit, ab anno MDLXXXVI canonicam praedicti Monasterii subiectionem provinciae ecclesiasticae Ravennatensi cessasse, ac propterea congruum omnino existimet Sanctitas Sua huic rei canonice et perpetuo providere, tamen ad cuiuscumque controversiae occasionem, quatenus opus sit, in posterum submovendam, praevia derogatione, quatenus opus sit, quorumcumque interesse quomodolibet habentium vel habere praesumentium consensui, ex certa scientia deque

Apostolicae potestatis plenitudine, Abbatiam seu Monasterium sancti Silvestri de Nonantula nullius dioecesis, a quocumque Metropolitico iure ac subiectione et superioritate Archiepiscopi Ravennatensis, siquidem opus sit, perpetuo exemit ac liberavit, et Metropolitico iuri Archiepiscopi Mutinensis in consueta forma in perpetuum subiecit ac supposuit, in contrarium facientibus, etiam speciali et individua mentione dignis, non obstantibus quibuscumque. In executorem autem huius Decreti, perinde valituri ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis super praemissis expeditae fuissent, Sanctitas Sua R. P. D. Natalem Bruni actu Archiepiscopum Mutinensem deputavit cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam ad effectum, de quo agitur, et cum iniunctione authenticum exemplum executionis peractae ad Sanctam Sedem transmittendi, ut inter Acta sacrae Congregationis Consistorialis asservetur, mandavitque praesens Decretum inter Acta eiusdem sacrae Congregationis Consistorialis referri.

Datum Romae, hac die XXIII Septembris anno MDCCCCII.

† CAROLVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS
S. C. Cons. *Secretarius.*

COMMONITIO

DE ACTIONE CHRISTIANA POPVLARI SEV DEMOCRATIA CHRISTIANA

È noto a tutti con quanto zelo e paterna sollecitudine in molte occasioni il Santo Padre promosse ed incoraggiò l'azione popolare cristiana, e principalmente colla Enciclica *Rerum novarum* del 15 Maggio 1891, nella quale trattò ampiamente dei diritti e dei doveri su cui è espediente che convengano in reciproco accordo le due classi dei capitalisti e dei lavoratori, e indicò ad un tempo i rimedi derivanti dalle dottrine evangeliche, norme eterne e infallibili di giustizia e religione, ed eminentemente efficaci a togliere ogni contesa tra i vari ordini di cittadini.

I frutti che produssero gl'insegnamenti contenuti in quella memorabile Enciclica appariscono manifesti a chiunque consideri l'incremento ricevuto dall'azione cattolica nella parte che risguarda l'economia e la carità cristiana. Dal titolo però di *democratici cristiani* assunto da parecchi cattolici, e rigettato da altri, sorsero delle controversie e deplorevoli dispute portate fino all'acrimonia. A questo male porsero efficace rimedio i principî e le norme dettate nell'Enciclica *Graves de communi* del 18 Gennaio 1901,

che regolano il pensiero dei cattolici sopra tale argomento, e rendono la loro azione più larga e assai più proficua alla società.

Persistendo alcuni in certe dottrine e tendenze chiaramente riprovate in detta Enciclica, volendo premunire l'azione cattolica dai conseguenti pericoli, il Santo Padre ordinò alla sagra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari di compilare e, colla previa Sua approvazione, emanare la Istruzione *Nessuno ignora* del 27 Gennaio 1902, colla quale anche si rendeva più forte, più compatta e sicura l'azione popolare cristiana o democratica cristiana.

Ai ripetuti insegnamenti del Vicario di Gesù Cristo sulla vera e genuina *democrazia cristiana*, e alle norme date sul modo di estenderne l'azione, risposero i giovani conferendo volenterosi la loro calda ed energica operosità; risposero i più maturi recando fiduciosi, oltre alla provata fede, la ponderazione e il senno, frutti della esperienza; ma disgraziatamente non risposero, come era dovere, a tali insegnamenti e norme alcuni, i quali cogli scritti e colle conferenze avevano maggiormente cooperato alla propagazione di teorie e tendenze pericolose, benchè più volte fossero stati paternamente ammoniti dalla ecclesiastica autorità.

Un discorso tenuto nella Repubblica di San Marino il 24 Agosto p. p. sul tema *Libertà e Cristianesimo* [1], ha

[1] Pubblicato in Roma nel giornale *Il Domani d'Italia* del 31 Agosto, e in libretto separato con questo titolo: *R. Murri.* —

specialmente contristato il paterno cuore dell' Augusto Pontefice, al quale molti Vescovi, messi in pensiero pei cattivi effetti, hanno creduto loro dovere di ricorrere per opportuni provvedimenti.

Tale discorso, accuratamente esaminato, è stato trovato riprovevole e degno di censura.

Si deplora inoltre di vedere non di rado informate agli stessi principî varie delle pubblicazioni che ricevono l'ispirazione dallo stesso autore del discorso di San Marino.

Merita invece la piena fiducia dei cattolici il Secondo Gruppo dell' Opera dei Congressi, perchè fedele ai pontificî insegnamenti, ed in particolare alle istruzioni e norme date dalla Santa Sede il 27 Gennaio del corrente anno; le quali, indipendentemente dal loro perpetuo valore dottrinale, rimangono in pieno vigore anche nella parte che risguarda la semplice riorganizzazione dell' Opera dei Congressi e l'autorità del Secondo Gruppo di essa.

La presente Notificazione per incarico speciale del Santo Padre si comunica anche a tutti i Rmi Ordinari d' Italia per loro norma, affinchè la loro vigilanza pastorale prevenga i fedeli contro le teorie e le tendenze sopra accennate, procurando che gl' insegnamenti e le norme,

Libertà e Cristianesimo. — *Discorso letto il 24 Agosto 1902 nella Repubblica di San Marino nell' adunanza solenne del Convegno Internazionale democratico cristiano. — Roma Società I. C. di Cultura Editrice, 1902.*

dati nella *Istruzione* del 27 Gennaio del corrente anno, nei *Regolamenti* dell'Opera dei Congressi e relativa *Appendice,* siano integralmente conosciuti, frequentemente letti e fedelmente osservati da tutti i ceti di azione popolare cristiana, ricordando a tutti che quei documenti sono splendida conferma delle liete speranze che la genuina *democrazia cristiana* ispira alla Santa Sede, la quale con paterna e costante sollecitudine la premunisce contro i pericoli che potrebbero rendere sterili i suoi lavori.

Dato in Roma, dal Vicariato, il 23 Settembre 1902.

PIETRO Card. Vicario.

P. Can. Checchi *Segretario.*

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
GEORGIO TIT. SANCTAE AGNETIS EXTRA MOENIA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP
EPISCOPO VRATISLAVIENSI
CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
QVI NVPER FVLDENSI COETVI INTERFVERVNT
VRATISLAVIAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER AC VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Significati quotannis Episcoporum Borussiae sensus, amorem venerationemque praecipua quadam ratione prae se ferentes, acciderunt animo Nostro et grati et iucundi. Communes autem omnium vestrum litterae, quas hoc anno e conventu Fuldensi recepimus mirum quanto maiorem attulerunt laetitiae caussam. Demonstrata enim in illis luculente vestra erga Apostolicam Sedem observantia; testatus vehementius Petri Cathedrae cultus; praeclarius multo coniunctio comprobata quam fovere Nobiscum stu-

detis. Fuit vero rerum harum iucundissimarum illa demum occasio et origo, Iubilaei Nostri Pontificalis auspicata celebritas. Sint itaque grates omnipotenti ac benignissimo Deo, quem e laetitiis Nostris tantam uberrimorum fructuum segetem colligere delectat. Pateat etiam unicuique vestrum grati animi Nostri testimonium. Et quoniam sollemnia haec Iubilaria Episcopos Borussiae tam egregie in Nos animatos exhibuerunt, libet praecellens istud pietatis officium merita laude honestare. Illud vero ipsum quod vos et proposito forti et consilio illustri estis polliciti, hortamur ut pro viribus assequamini: unionem dicimus cum Cathedra Petri, quam cordi esse singulis vobis quemadmodum antea non dubitavimus, sic in praesentia certo scimus. Testis est sollicitudo illa fidelis, qua documenta Nostra suprema complectentes, idem Nobiscum et velle et sentire declarastis, perspicueque professi estis ad eamdem coniunctionem, perinde atque ad interiorem commodorum Ecclesiae caussam, constanter esse enitendum. Quae ut votis Nostris vestrisque desideriis respondeant, adprecamur vobis divinorum munerum opem, eorumque auspicem Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam benedictionem tum vobis tum gregibus ecclesiarum vestrarum peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV Septembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
THOMAE ARCHIEPISCOPO FRIBVRGENSI
CETERISQVE EPISCOPIS PROVINCIAE RENANAE SVPERIORIS
FRIBVRGVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Habitus Moguntiae conventus probe confirmavit commune omnium vestrum propositum non praetermittendi, quemadmodum Friburgi Brisgoviae statutum per vos est, annuos Episcoporum coetus. Magnas enim utilitates comparant tum clero tum fidelibus collata Pastorum consilia, argumentoque harum conspicuo uberes fructus existunt e sollertia vestra relati. Quamobrem dum vobis de nova hac eademque peropportuna catholici tuendi gregis industria gratulamur, memorem profitemur animum de obsequio vestro cum addictissimis observantiae sensibus erga Nos adhibito. Quo autem maiora commoda diligentiam vestram sequantur, adprecamur vobis omnia divinae gratiae munera, eorumque auspicem ac Nostrae benevolentiae testem

Apostolicam benedictionem unicuique vestrum gregibusque vobis concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IV Octobris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

IOANNI E COMITIBVS ZICHY
PRAESIDI TERTII CONGRESSVS CATHOLICI BVDAPESTINENSIS
BVDAPESTINVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Accedentes Hungariae catholici ad proximum coetum Budapestinensem non poterant maiorem, quam per litteras tuas, praebere Nobis spem fructuum uberrimorum. Laudamus proposita unicuique vestrum consilia; laudamus animum quo ad illa assequenda contenditis. Quod si hominum genus, quemadmodum innuisti, magnam partem misere aberrat, maximo Nobis solatio existit non deesse in Hungaria, qui et christianam fidem foveant integram, et servandae legis voluntatem constantem retineant. Quapropter valde confidimus conventum vestrum magnarum utilitatum caussam esse futurum. Quum autem ad progredientia catholici nominis bona multiplicanda magnopere sociatae vires conducant, vestras etiam foederatas sodalitates laude merita exornamus, teque, cui mandata earum-

dem moderatio est, vehementer exhortamur ad maiora in dies commoda rei christianae comparanda. Auspicem interea divinarum gratiarum Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam benedictionem tibi ac ceteris qui in coetum una tecum convenient, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Octobris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

STANISLAO EPISCOPO AVRELIANENSI

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Non mediocri Nos voluptate consilium cognovimus a te tuisque presbyteris susceptum habendi in Felicem Dupanloup, decessorem tuum, sollemnia ab ortu saecularia. Qua quidem in re perspicue fatemur vehementer Nobis sensum grati animi probari, qui laudi est tuis sacrorum administris, a pastore illo nobili ad sacerdotium evectis. Temporibus autem veritati ac iustitiae maxime infensis non sine magna exempli efficacitate eius recordatio sollemni celebritate proponitur, qui permulta certamina, illudque in primis de tuendis Romani Pontificis libertate ac iuribus, fortissimus pugnavit. Quapropter spes Nobis haud levis est posse memoriam honoremque clari viri voluntatem fovere in clericis servandae confirmandaeque cum Petri Cathedra coniunctionis. Merita propterea laude unum-

quemque vestrum prosequimur, testemque benevolentiae Nostrae Apostolicam benedictionem tibi tuisque presbyteris peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Octobris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
NICOLAO MARINI PROTONOTARIO APOSTOLICO
AD INSTAR PARTICIPANTIVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum in praecipuis Apostolatus Nostri curis hoc etiam sit ut qui a catholica unitate dissident, ad eam, divina favente gratia, revocentur, valde delectamur quod tu coeptis votisque Nostris obsecundare apud Orientales impiger studeas, periodicam edendo elucubrationem, cui ab insigni Cardinali Bessarione, praeclare de Ecclesia merito, perapte nomen indidisti. — Alacrem de hac re doctamque sollertiam tuam aliis Nos litteris commendavimus, gratumque est optimorum fructuum spem a Nobis iam tum conceptam felicius in dies evenire. Nunc vero, sexto excedente anno ab opere tuo inito, tibi, dilecte fili, eruditisque viris qui tuorum sunt socii ac participes laborum Nostrisque consiliis naviter obsequuntur, quos hactenus fecistis, cum doctorum hominum comprobatione, progressus ex

animo gratulamur, amplioresque deinceps facturos speramus, praesertim si non deerunt qui vobis adlaborantibus opem benevole afferant. — Quod quidem ut auspicato contingat, tibi aeque sociisque ac lectoribus scriptorum vestrorum Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Octobris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

SALVATORI S. R. E. PRESB. CARDINALI CASAÑAS Y PAGÉS

EPISCOPO BARCINONENSI

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quibus verbis affari Nos statueras quo die e Barcinonensibus tuis sat multi, aliique pariter ex aliis Hispaniae partibus huc ad Nos, salutandi caussâ, te duce convenerant, ea modo perlegimus, uti sunt mandata litteris. Perlegimus autem valde libentes, quod pulcre ex eis eminet tua primum Nobis non ignota virtus episcopalis; tum porro ipsa eorum mens qui aderant, quorum quidem ardorem fidei pietatisque spectare Nobismetipsis eo die licuit. De iis vero qui aberant, affirmas optimus ipse testis, populares significationes in dioecesi tua atque alibi varias itemque insignes ad Romani Pontificis honorem extitisse. Merito ista Nobis iucunda et grata, ut quae argumento sunt, christianos sensus, quorum caussâ adeo maiores vestri laudantur, ipsos plurimum posse divino munere etiamnum

apud posteros. Sed tamen nosti communia tempora: tot intenduntur in vitam moresque christianos ex omni parte pericula, ut vix alias fuerit vigilantiae fortitudinisque necessitas maior. Id animadvertant et considerent velimus populares vestri, non quo despondeant animis, sed ut sibi caveant diligentissime et maxima se constantia pro temporum ratione communiant. Te quidem et Episcopos collegas tuos cum universo Clero pro incolumitate fidei sanctissimae propugnare et contendere, Deo auxiliante, perseveraturos, ut facitis, certo scimus. Divinorum munerum auspicem, benevolentiaeque Nostrae testem, Apostolicam benedictionem tibi, Episcopis, clericis et quotquot hic tecum superiore hebdomada erant, amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Octobris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

CONSILIVM INSTITVITVR

STVDIIS SACRAE SCRIPTVRAE PROVEHENDIS

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Vigilantiae studiique memores, quo *depositum fidei* Nos quidem longe ante alios sartum tectumque praestare pro officio debemus, litteras encyclicas *Providentissimus Deus* anno MDCCCXCIII dedimus, quibus complura de studiis Scripturae sacrae data opera complectebamur. Postulabat enim excellens rei magnitudo atque utilitas, ut istarum disciplinarum rationibus optime, quoad esset in potestate Nostra, consuleremus, praesertim cum horum temporum eruditio progrediens quaestionibus quotidie novis, aliquandoque etiam temerariis, aditum ianuamque patefaciat. Itaque universitatem catholicorum, maxime qui sacri essent ordinis, commonefecimus quae cuiusque pro facultate sua partes in hac caussa forent; accurateque persequuti sumus qua ratione et via haec ipsa studia provehi congruenter temporibus oporteret. Neque in irritum huiusmodi docu-

menta Nostra cecidere. Iucunda memoratu sunt quae subinde sacrorum Antistites aliique praestantes doctrina viri magno numero obsequii sui testimonia deferre ad Nos maturaverint; cum et earum rerum, quas perscripseramus, opportunitatem gravitatemque efferrent, et diligenter se mandata effecturos confirmarent. Nec minus grate ea recordamur, quae in hoc genere catholici homines re deinceps praestitere, excitata passim horum studiorum alacritate. — Verumtamen insidere vel potius ingravescere caussas videmus easdem, quamobrem eas Nos Litteras dandas censuimus. Necesse est igitur illa ipsa iam impensius urgeri praescripta: id quod Venerabilium Fratrum Episcoporum diligentiae etiam atque etiam volumus commendatum.

Sed quo facilius uberiusque res e sententia eveniat, novum quoddam auctoritatis Nostrae subsidium nunc addere decrevimus. Etenim cum divinos hodie explicare tuerique Libros, ut oportet, in tanta scientiae varietate tamque multiplici errorum forma, maius quiddam sit, quam ut id catholici interpretes recte efficere usquequaque possint singuli, expedit communia ipsorum adiuvari studia ac temperari auspicio ductuque Sedis Apostolicae. Id autem commode videmur posse consequi si, quo providentiae genere in aliis promovendis disciplinis usi sumus, eodem in hac, de qua sermo nunc est, utamur. His de caussis placet, certum quoddam Consilium sive, uti loquuntur, *Commissionem* gravium virorum institui: qui eam sibi habeant provinciam, omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant,

tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate. Huius Consilii praecipuam sedem esse addecet Romae, sub ipsis oculis Pontificis maximi: ut quae Urbs magistra et custos est christianae sapientiae, ex eadem in universum christianae reipublicae corpus sana et incorrupta huius quoque tam necessariae doctrinae praeceptio influat. Viri autem ex quibus id Consilium coalescet, ut suo muneri, gravi in primis et honestissimo, cumulate satisfaciant, haec proprie habebunt suae navitati proposita.

Primum omnium probe perspecto qui sint in his disciplinis hodie ingeniorum cursus, nihil ducant instituto suo alienum, quod recentiorum industria repererit novi: quin imo excubent animo, si quid dies afferat utile in exegesim Biblicam, ut id sine mora assumant communemque in usum scribendo convertant. Quamobrem ii multum operae in excolenda philologia doctrinisque finitimis, earumque persequendis progressionibus collocent. Cum enim inde fere consueverit Scripturarum oppugnatio existere, inde etiam nobis quaerenda sunt arma, ne veritatis impar sit cum errore concertatio. — Similiter danda est opera, ut minori in pretio ne sit apud nos, quam apud externos, linguarum veterum orientalium scientia, aut codicum maxime primigeniorum peritia: magna enim in his studiis est utriusque opportunitas facultatis.

Deinde quod spectat ad Scripturarum auctoritatem integre asserendam, in eo quidem acrem curam diligen-

tiamque adhibeant. Idque praesertim laborandum ipsis est, ut nequando inter catholicos invalescat illa sentiendi agendique ratio, sane non probanda, qua scilicet plus nimio tribuitur heterodoxorum sententiis, perinde quasi germana Scripturae intelligentia ab externae eruditionis apparatu sit in primis quaerenda. Neque enim cuiquam catholico illa possunt esse dubia, quae fusius alias Ipsi revocavimus: Deum non privato doctorum iudicio permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse; « in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, eum pro vero sensu sacrae Scripturae habendum esse, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari » [1]; eam esse divinorum naturam Librorum, ut ad religiosam illam, qua involvuntur, obscuritatem illustrandam subinde non valeant hermeneuticae leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia; demum legitimum divinae Scripturae sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui magisterium ipsius auctoritatemque repudiaverint. — Ergo viris qui de Consilio fuerint, curandum sedulo, ut horum diligentior quotidie sit custodia principiorum: adducanturque persuadendo, si qui forte heterodoxos admirantur praeter

[1] Conc. Vatic. sess. III, cap. II, *De revel.*

modum, ut magistram studiosius observent audiantque Ecclesiam. Quamquam usu quidem venit catholico interpreti, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime in re critica, capiat adiumenti: sed cautione opus ac delectu est. Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exacuant. Videant tamen ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imbibant: siquidem in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus.

Tertio loco, in eam studiorum horum partem quae proprie est de exponendis Scripturis, cum latissime fidelium utilitati pateat, singulares quasdam curas Consilium insumat. Ac de iis quidem testimoniis, quorum sensus aut per sacros auctores aut per Ecclesiam authentice declaratus sit, vix attinet dicere, convincendum esse, eam interpretationem solam ad sanae hermeneuticae leges posse probari. Sunt autem non pauca, de quibus cum nulla extiterit adhuc certa et definita expositio Ecclesiae, liceat privatis doctoribus eam, quam quisque probarit, sequi tuerique sententiam: quibus tamen in locis cognitum est analogiam fidei catholicamque doctrinam servari tamquam normam oportere. Iamvero in hoc genere magnopere providendum est, ut ne acrior disputandi contentio transgrediatur mutuae caritatis terminos; neve inter dispu-

tandum ipsae revelatae veritates divinaeque traditiones vocari in disceptationem videantur. Nisi enim salva consensione animorum collocatisque in tuto principiis, non licebit ex variis multorum studiis magnos expectare huius disciplinae progressus. — Quare hoc etiam in mandatis Consilio sit, praecipuas inter doctores catholicos rite et pro dignitate moderari quaestiones; ad easque finiendas qua lumen iudicii sui, qua pondus auctoritatis afferre. Atque hinc illud etiam consequetur commodi, ut maturitas offeratur Apostolicae Sedi declarandi quid a catholicis inviolate tenendum, quid investigationi altiori reservandum, quid singulorum iudicio relinquendum sit.

Quod igitur christianae veritati conservandae bene vertat, studiis Scripturae sanctae promovendis ad eas leges, quae supra statutae sunt, Consilium sive *Commissionem* in hac alma Urbe per has litteras instituimus. Id autem Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus auctoritate Nostra deligendis: iisque in communionem studiorum laborumque mens est adiungere cum Consultorum officio ac nomine, ut in sacris urbanis Consiliis mos est, claros nonnullos, alios ex alia gente, viros quorum a doctrina sacra, praesertim biblica, sit commendatio. Consilii autem erit et statis conventibus habendis, et scriptis vel in dies certos vel pro re nata vulgandis, et si rogatum sententiam fuerit, respondendo consulentibus, denique omnibus modis, horum studiorum, quae dicta sunt, tuitioni et incremento prodesse. Quaecumque vero res consultae communiter fuerint, de iis rebus referri ad Summum Pon-

tificem volumus; per illum autem ex Consultoribus referri, cui Pontifex ut sit ab actis Consilii mandaverit. — Atque ut communibus iuvandis laboribus supellex opportuna suppetat, iam nunc certam Bibliothecae Nostrae Vaticanae ei rei addicimus partem; ibique digerendam mox curabimus codicum voluminumque de re Biblica collectam ex omni aetate copiam, quae Consilii viris in promptu sit. In quorum instructum ornatumque praesidiorum valde optandum est locupletiores catholici Nobis suppetias veniant vel utilibus mittendis libris; atque ita peropportuno genere officii Deo, Scripturarum Auctori, itemque Ecclesiae navare operam velint.

Ceterum confidimus fore, ut his coeptis Nostris, utpote quae christianae fidei incolumitatem sempiternamque animarum salutem recta spectent, divina benignitas abunde faveat; eiusque munere, Apostolicae Sedis in hac re praescriptionibus catholici, qui sacris Litteris sunt dediti, cum absoluto numeris omnibus obsequio respondeant.

Quae vero in hac caussa statuere ac decernere visum est, ea omnia et singula uti statuta et decreta sunt, ita rata et firma esse ac manere volumus et iubemus; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xxx Octobris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
LEONI TIT. SANCTI STEPHANI IN COELIO MONTE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DE SKRBENSKY
ARCHIEPISCOPO PRAGENSI
CETERISQVE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
BOHEMIAE ET MORAVIAE

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER AC VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae ad Nos quotidie afferuntur nuncia de vestrarum dioecesium statu deque discessione complurium a catholicorum sacris moerore maximo Nostrum animum tristitiaque afficiunt. Equidem non dubitamus quin omnia a vobis argumenta strenue adhibeantur ad creditarum ovium ruinas sarciendas amplioraque in dies damna cavenda. Si enim fidei osores nec labori nec pecuniae parcant, totoque pectore ad labefactandum gregem vestrum incumbant, fieri nullo modo potest ut vos, quos Christus iussit esse Pastores, vacetis interim neque omnia pertentetis quae ad tutandas oves conducant. Attamen periculi magnitudo sti-

mulos volentibus suadet addere. Scimus profecto non iisdem, quoad fidei securitatem, versari in adiunctis dioeceses vestras universas; quamobrem nec eadem adhiberi queunt ubique ad fidem tutandam adiumenta. Quoniam tamen discrimen commune est, communisque patria quae defensionem postulat; optime consultum putamus, Venerabiles Fratres, si sententias invicem communicetis concordique iudicio quae praestanda quaeve cavenda provideatis. Quare placet ut quotquot per Bohemiam et Moraviam estis Episcopi in coetum quantocyus conveniatis de tutela fidei apud vestrates deliberaturi. Quae autem deliberata statutaque fuerint, ad Nos deferenda curabitis, apostolica approbatione sancienda. Hanc porro opportunitatem nolumus praeterire, quo vobis iterum enixeque commendemus ut contraria studia tollenda penitus curetis in quae homines sacri cleri apud vos scinduntur, viresque dividunt atque enervant, quarum coniunctione, nunc praesertim, ad tuitionem fidei, maxime est opus. Adsint ad haec vobis divinarum gratiarum subsidia. Nostrae vero caritatis pignus Apostolicam benedictionem habetote, quam vobis gregibusque vestris amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Novembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

DE OPERE PRAESERVATIONIS FIDEI

IN VRBE

—

LEO PP. XIII

MOTV PROPRIO

Litteras ante annos duos dedimus ad Virum Eminentissimum vice Nostra Romae fungentem, quibus effrenatam licentiam adsertoribus haeresum ipsa in Urbe permitti dolebamus. Hanc enim civitatem catholici nominis principem divina Providentia constituit, unamque delegit ex omnibus unde in universum terrarum orbem, quemadmodum tot saecula factum potestate libera est, evangelicae doctrinae lumen diffunderetur. Quod quidem nobilissimum planeque divinum Romanae Sedis officium aperte declarat quam sit iniquum et quanto cum discrimine coniunctum ut templa heic et scholae ab haeresum propagatoribus aperiantur, pravis infensisque opinionibus Nostro in grege disseminandis. Ut hisce igitur novis incommodis, quantum quidem erat in Nobis, occurreremus, recens opus *Praeservationis Fidei,* quod Nostris consiliis ac studiis fuerat excitatum, libentissime probavimus. Verum accrescunt misere in dies pericula et damna, ob eamque rem Apostolicae sollicitudinis caritate impulsi, laudatum opus

firmiore instruere praesidio statuimus ac deliberavimus, peculiare Consilium S. R. E. Cardinalium eidem moderando praeficientes. Hinc sane Curiones Urbani, quorum navitati vel maxime hac in re confidimus, maiora habebunt adiumenta ad sacerdotii partes cumulate omnique cum fructu explendas; hinc etiam animos ad maiora praestanda egregii viri sument, qui nomen ad hoc usque tempus amplificando operi magna cum laude dederunt.

Quamobrem praesenti Motu-proprio Consilium seu *Commissionem* instituimus Operi *Praeservationis Fidei* moderando ac promovendo. Haec autem *Commissio* e nonnullis, quos Pontifex designaverit, S. R. E. Cardinalibus constabit; eligimus vero primos

Seraphinvm Cretoni
Franciscvm De Pavla Cassetta
Petrvm Respighi
Sebastianvm Martinelli
Iosephvm Calasanctivm Vives

Quibus autem muneribus atque officiis supra dictum Consilium incumbere debeat, quibusque regendum sit legibus proprio documento praescribimus.

Haec interim decreta rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv Novembris mdcccciii, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

STATUTO

DELLA COMMISSIONE CARDINALIZIA

PER L'OPERA

DELLA PRESERVAZIONE DELLA FEDE

I. – La Commissione Cardinalizia ha l'alta direzione e protezione dell'Opera. Si comporrà del Cardinale Vicario *pro tempore*, il quale ne avrà la presidenza, di quattro altri Cardinali e di un Prelato Segretario.

II. – La Commissione Cardinalizia è coadiuvata da una Consulta Prelatizia, da una Giunta Amministrativa, da un Comitato di signori. A questo ne verrà aggiunto un altro di signore, e vi saranno pure Zelatori e Zelatrici.

III. – La Commissione Cardinalizia ha piena autorità per tutti gli affari dell'Opera e rivede l'operato della Giunta Amministrativa. Spetta esclusivamente ad essa l'esaminare e sottoporre all'approvazione del Pontefice i vari progetti destinati ad assicurare con rendite certe il buon andamento dell'Opera. La Commissione Cardinalizia nomina i membri della Giunta Amministrativa e i capi del Comitato.

IV. – La Commissione Cardinalizia si adunerà la prima Domenica d'ogni mese, nella sala delle Sacre Congregazioni in Vaticano alle ore 9,30, ed in via straordinaria quando ve ne sarà bisogno a giudizio della stessa Commissione o a richiesta della Giunta Amministrativa dell'Opera. Le sue deliberazioni sono valide quando sono presenti due Cardinali.

V. – La Commissione Cardinalizia non permetterà nè tollererà nessun ufficio od impiego nell' Opera che non sia pienamente e sotto ogni rispetto gratuito. Le spese d'ufficio della Giunta Amministrativa saranno fissate approssimativamente in apposito preventivo.

VI. – I fondi saranno consegnati in deposito alla S. Congregazione di Propaganda Fide, e non potranno essere nemmeno parzialmente alienati senza uno speciale permesso o mandato del Pontefice. Le rendite di detti fondi saranno riscosse dalla Giunta Amministrativa dell' Opera.

VII. – La Consulta Prelatizia si comporrà del Segretario della Commissione Cardinalizia e di cinque Consultori scelti fra ecclesiastici che per esperienza, prudenza e zelo per l' Opera possano efficacemente giovare col loro consiglio. Uno dovrà essere preso fra i Parroci di Roma. Saranno nominati *motu proprio* dal Sommo Pontefice o dietro proposta della Commissione Cardinalizia.

VIII. – I Consultori assisteranno alle adunanze della Commissione Cardinalizia per fare le relazioni, o per dare il loro parere sulle questioni che il Segretario proporrà, o che i Cardinali giudicheranno opportuno di fare. Finite che saranno le relazioni e dati i pareri usciranno, lasciando ai Cardinali la definitiva risoluzione.

IX. – L' azione immediata ed esecutiva dell' Opera è affidata alla Giunta Amministrativa, che sarà composta di tre Consultori della Commissione Cardinalizia col Segretario della stessa e di alcuni distinti ecclesiastici e laici di merito singolare. I membri della Giunta Amministrativa non potranno essere più di sette. A loro si aggiungono il Tesoriere, il Computista, l'Economo, e l'Ispettore Generale.

X. – I membri della Giunta Amministrativa saranno nominati dalla Commissione Cardinalizia, alla quale inoltre è riservata la nomina del Computista, del Tesoriere, dell' Economo e dell' Ispettore Generale.

XI. – Il Presidente della Giunta Amministrativa sarà uno dei Consultori, membri della stessa Giunta, designato dalla Commissione Cardinalizia.

XII. – Gli uffici di Presidente, Segretario, Computista, Tesoriere, Economo ed Ispettore Generale della Giunta Amministrativa, scadono ogni due anni. Scadono parimenti ogni due anni tutti gli altri membri della stessa Giunta.

XIII. – Fungerà da Segretario della Giunta il Prelato Segretario della Commissione Cardinalizia.

XIV. – La Giunta Amministrativa si adunerà ogni martedì nelle ore pomeridiane; ed il suo còmpito sarà preparare i preventivi, le questioni ed i progetti da sottoporsi all'esame ed approvazione della Commissione Cardinalizia, eseguire le decisioni di questa, e dar corso agli affari ordinari. Per esser valide le deliberazioni della Giunta Amministrativa è necessaria la presenza di due membri oltre il Presidente.

XV. – Le somme in deposito presso la Giunta Amministrativa o il Tesoriere di questa non potranno oltrepassare la quantità di 150 lire: il sopravanzo dei redditi e delle oblazioni sarà prontamente consegnato all'Istituto di Credito, designato dalla Giunta Amministrativa, previa approvazione della Commissione Cardinalizia. Le largizioni o rendite superiori alla somma necessaria per il regolare ordinario andamento dell'Opera saranno man mano consegnate dietro ricevuta alla S. Congregazione di Propaganda Fide.

XVI. – L'azione della Giunta Amministrativa sarà immediatamente coadiuvata dal sopraddetto Comitato, secondo le norme da stabilirsi dalla Commissione Cardinalizia.

XVII. – La costituzione del Comitato e le sue attribuzioni, come pure l'organizzazione delle diverse sezioni dell'Opera, formeranno oggetto di apposito regolamento proposto dalla Giunta Amministrativa all'approvazione della Commissione Cardinalizia.

EPISTOLA ENCYCLICA

AI VESCOVI D'ITALIA

LEONE PP. XIII

VENERABILI FRATELLI

SALUTE ED APOSTOLICA BENEDIZIONE

Fin dal principio del Nostro Pontificato, ponendo Noi mente alle gravi condizioni della società, non tardammo a riconoscere, come uno dei più urgenti doveri dell'Apostolico ufficio fosse quello di rivolgere specialissime cure alla educazione del Clero. Vedevamo infatti che ogni Nostro divisamento ad operare nel popolo una restaurazione di vita cristiana sarebbe tornato in vano, ove nel ceto ecclesiastico non si serbasse integro e vigoroso lo spirito sacerdotale. Pertanto mai non cessammo, quanto era da Noi, di provvedervi, sia con opportune istituzioni, sia con parecchi documenti diretti a tale intento. Ed ora una particolare sollecitudine verso il Clero d'Italia Ci muove, Venerabili Fratelli, a trattare ancora una volta un argomento di sì grande rilievo. — Belle invero e continue testimonianze esso ne porge di dottrina, di pietà, di zelo; tra le quali

Ci piace di additar con lode l'alacrità onde, secondando l'impulso e la direzione dei Vescovi, coopera al movimento cattolico che Ci è sommamente a cuore. Non possiamo tuttavia dissimulare la preoccupazione dell'animo Nostro al vedere come da qualche tempo vada qua e là serpeggiando una cotal brama d'innovazioni inconsulte, così rispetto alla formazione, come all'azione multiforme dei sacri ministri. Ora è facile avvisare le gravi conseguenze che sarebbero a deplorarsi, ove a siffatte tendenze innovatrici non si apportasse pronto rimedio. — Ond'è che a preservare il clero italiano dalle influenze perniciose dei tempi, stimiamo cosa opportuna, Venerabili Fratelli, richiamare in questa Nostra lettera i veri e invariabili principî che debbono regolare l'educazione ecclesiastica e tutto il sacro ministero.

Il Sacerdozio cattolico, divino nella sua origine, soprannaturale nella sua essenza, immutabile nel suo carattere, non è tale istituzione che possa accomodarsi alla volubilità delle opinioni e dei sistemi umani. Partecipazione del sacerdozio eterno di Gesù Cristo, esso deve perpetuare fino alla consumazione dei secoli la missione stessa dal divin Padre affidata al suo Verbo Incarnato: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [1]. Operare la salute eterna delle anime sarà sempre il grande mandato, a cui esso non potrà mai venir meno; come, per fedelmente

[1] Ioann. xx, 21.

attuarlo, non dovrà mai cessar di ricorrere a quei soprannaturali presidî e a quelle norme divine di pensiero e di azione che gli diè Gesù Cristo, quando inviava i suoi Apostoli per tutto il mondo a convertire i popoli al Vangelo. Quindi S. Paolo nelle sue lettere vien ricordando, non essere altro il sacerdote che il *legato,* il *ministro di Cristo,* il *dispensatore dei suoi misteri* [1], e ce lo rappresenta quasi collocato in luogo eccelso [2], quale intermediario fra il cielo e la terra per trattare con Dio gl' interessi sommi dell' uman genere, che sono quei della vita sempiterna. Tale il concetto che i Libri santi ne dànno del Sacerdozio cristiano, cioè di un' istituzione soprannaturale, superiore a tutti gl' istituti terreni e affatto separata da essi come il divino dall' umano. — La stessa alta idea emerge chiara dalle opere dei Padri, dal magistero dei Romani Pontefici e dei Vescovi, dai decreti dei Concili, dall' unanime insegnamento dei Dottori e delle Scuole cattoliche. Che anzi tutta la tradizione della Chiesa è una voce sola nel proclamare che il Sacerdote è un *altro Cristo,* e che il Sacerdozio *si esercita bensì in terra, ma va meritamente annoverato tra gli ordini del cielo* [3]; *poichè gli son date da amministrare cose del tutto celesti, e gli è*

[1] II Cor. v, 20; vi, 4; I Cor. iv, 1.

[2] Hebr. v, 1.

[3] « Sacerdotium enim in terra peragitur, sed caelestium ordinum classem obtinet: et iure quidem merito » (S. Io. Chrysost. *De Sacerdotio,* lib. iii, n. 4).

conferito un potere che Dio non affidò neppure agli Angeli [1]; potere e ministero che riguardano il governo delle anime, ossia *l'arte delle arti* [2]. Perciò educazione, studi, costumi, quanto insomma si attiene alla disciplina sacerdotale, venne sempre dalla Chiesa considerato come un tutto a sè, non pur distinto, ma separato altresì dalle ordinarie norme del vivere laicale. — Tal distinzione e separazione deve dunque rimanere inalterata anche ai tempi nostri, e qualunque tendenza ad accomunare o confondere l'educazione e la vita ecclesiastica con la educazione e la vita laicale, ha da giudicarsi riprovata nonchè dalla tradizione dei secoli cristiani, ma dalla dottrina stessa apostolica e dagli ordinamenti di Gesù Cristo.

Certamente nella formazione del clero e nel ministero sacerdotale ragion vuole che si abbia riguardo alle varie condizioni dei tempi. Quindi è ben lungi da Noi il pensiero di rigettare quei mutamenti che rendano l'opera del Clero sempre più efficace nella società in mezzo a cui vive; che anzi appunto per tale considerazione Ci è sembrato conveniente di promuovere in esso una più solida e squisita coltura, e di aprire un campo più largo al suo ministero. Ma ogni altra innovazione che potesse recar qualche pregiudizio a ciò ch'è essenziale al sacerdote, dovrebbe

[1] « Etenim qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quae in caelis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus » (Ib. n. 5).

[2] « Ars est artium regimen animarum » (S. Gregor. M., *Regul. Past.*, Part. I, c. I).

riguardarsi come affatto biasimevole. Il sacerdote è sopra tutto costituito maestro, medico e pastore delle anime, e guida ad un fine che non si chiude nei termini della vita presente. Ora non potrà egli mai corrispondere appieno a così nobili uffici, se non sia, quant'è mestieri, versato nella scienza delle cose sacre e divine; se non sia fornito a dovizia di quella pietà che ne fa un uomo di Dio; se non ponga ogni cura in avvalorare i suoi insegnamenti colla efficacia dell'esempio, conforme all'ammonimento dato ai sacri pastori dal Principe degli Apostoli: *Forma facti gregis ex animo* [1]. Comunque volgano i tempi, e le condizioni sociali cangino e si tramutino, queste sono le proprie e massime doti che debbono rifulgere nel sacerdote cattolico, giusta i principî della fede; ogni altro corredo naturale ed umano, sarà certo commendevole, ma non avrà, rispetto all'ufficio sacerdotale, che una secondaria e relativa importanza. — Se pertanto è ragionevole e giusto che il Clero si pieghi, fin dove è lecito, ai bisogni dell'età presente, è altresì doveroso e necessario che alla prava corrente del secolo, non che cedere, fortemente resista. E ciò, mentre risponde naturalmente all'alto fine del sacerdozio, vale altresì a renderne più fruttuoso il ministero, crescendogli decoro e procacciandogli rispetto. — Ora è noto pur troppo come lo spirito del naturalismo tenti inquinare ogni parte anche più sana del corpo sociale: spirito che inorgoglisce le menti e le ribella

[1] I Petr. v, 3.

ad ogni autorità; che avvilisce i cuori e li volge alla ricerca dei beni caduchi, trascurati gli eterni. Di questo spirito, così malefico e già troppo diffuso, grandemente è a temere che qualche influsso non possa insinuarsi anche fra gli ecclesiastici, massime fra i meno esperti. Tristi effetti ne sarebbero, il venir meno a quella gravità di condotta, che tanto si addice al sacerdote; il cedere con leggerezza al fascino di ogni novità; il diportarsi con indocilità pretenziosa verso i maggiori; il perdere quella ponderatezza e misura nel discutere che tanto è necessaria, particolarmente in materia di fede e di morale. Ma effetto ben più deplorevole, perchè congiunto col danno del popolo cristiano, ne seguirebbe nel sacro ministero della parola, inducendovi un linguaggio non conforme al carattere di banditore dell'Evangelo.

Mossi da tali considerazioni, Noi sentiamo di dover nuovamente e con più vivo studio raccomandare, che innanzi tutto i Seminari siano con gelosa cura mantenuti nello spirito proprio, così rispetto all'educazione della mente come a quella del cuore. Non si perda giammai di vista, ch'essi sono esclusivamente destinati a preparare i giovani non ad uffici umani, per quanto legittimi ed onorevoli, ma all'alta missione, poc'anzi accennata, di *ministri di Cristo e dispensatori dei misteri di Dio* [1]. Da tale riflesso,

[1] I Cor. IV, 1.

tutto soprannaturale, sarà sempre agevole, come notammo già nella Enciclica al Clero di Francia data l'8 Settembre 1899, ritrarre norme preziose non pure per la retta formazione dei chierici, ma per allontanare altresì dagl'Istituti, ne' quali si educano, ogni pericolo così interno come esterno, d'ordine morale o religioso. — Rispetto agli studi, poichè il clero non dev'essere estraneo agli avanzamenti d'ogni buona disciplina, si accetti pure quanto di veramente buono ed utile si riconosca negl'innovati metodi: ogni tempo suol contribuire al progresso del sapere umano. Però vogliamo che su tal proposito siano ben ricordate le prescrizioni Nostre intorno allo studio delle lettere classiche, e principalmente della Filosofia, della Teologia, e delle scienze affini: prescrizioni che demmo in più documenti, massime nella detta Enciclica, di cui Ci piace perciò trasmettere a voi un esemplare, unito alla presente. — Sarebbe al certo desiderabile che i giovani ecclesiastici potessero tutti, com'è dovere, fornire il corso degli studi sempre all'ombra dei sacri Istituti. Ma poichè gravi ragioni talora consigliano che alcuni di essi frequentino le pubbliche Università, non si dimentichi con quali e quante cautele i Vescovi debbano ciò loro permettere [1]. — Vogliamo del pari che s'insista sulla fedele osservanza delle norme contenute in altro più

[1] Instructio *Perspectum est* S. Congr. EE. et RR. dat. die 21 Iulii 1896, ad Italiae Episcopos et Familiarum Religiosarum Moderatores.

recente documento, in ispecial modo per quanto concerne le letture od altro che potesse dare occasione ai giovani di prender parte comecchessia ad agitazioni esterne [1]. Così gli alunni dei Seminari, facendo tesoro di un tempo prezioso e colla massima tranquillità degli animi, potranno raccogliersi tutti intorno a quegli studi che li rendano maturi ai grandi doveri del sacerdozio, singolarmente al ministero della predicazione e delle confessioni. Ben si rifletta, quanto grave sia la responsabilità di quei sacerdoti che, in tanto bisogno del popolo cristiano, trascurano di prestar l'opera propria nell'esercizio di questi sacri ministeri; e di coloro altresì che non vi portano una illuminata operosità: sì gli uni come gli altri mal corrispondono alla propria vocazione in cosa che troppo importa alla salute delle anime. E qui dobbiamo richiamare l'attenzione vostra, Venerabili Fratelli, sulla speciale Istruzione che volemmo data in ordine al ministero della divina parola [2]; e desideriamo che se ne traggano più copiosi frutti. Rispetto poi al ministero delle confessioni, si rammenti quanto severe suonino le parole del più insigne e mite dei moralisti verso coloro che non dubitano di sedere inetti nel tribunale di penitenza [3]; e come non meno

[1] Istruzione della S. Congr. degli AA. EE. SS. del 27 Gennaio 1902, sull'azione popolare cristiana o democratico-cristiana in Italia.

[2] Istruzione della S. Congr. dei VV. e RR. del 31 Luglio 1894 a tutti gli Ordinari d'Italia ed ai Superiori degli Ordini e Congregazioni religiose.

[3] S. Alf. M.ª De Liguori: *Pratica del Confessore*, c. I, § III, n. 18.

severo sia il lamento dell'insigne Pontefice Benedetto XIV, che poneva tra le maggiori calamità della Chiesa il difetto nei confessori di una scienza teologica morale qual s'addice alla gravità di così santo ufficio.

Ma al nobile scopo di preparare degni ministri del Signore è necessario, Venerabili Fratelli, che sia volto, e con sempre maggior vigore e vigilanza, oltre l'ordinamento scientifico, anche il disciplinare e l'educativo dei vostri Seminari. — Non vi si accolgano che giovani i quali offrano fondate speranze di voler consecrarsi in perpetuo al ministero ecclesiastico [1]. Si tengano segregati dal contatto e più dalla convivenza con giovani non aspiranti al sacerdozio: tale comunanza potrà per giuste e gravi cause tollerarsi a tempo e con singolari cautele, finchè non sia dato di pienamente provvedere, conforme allo spirito della disciplina ecclesiastica. Si rimandino quanti nel corso della loro educazione manifestassero tendenze men convenevoli alla vocazione sacerdotale, e nell'ammettere i chierici agli ordini sacri si usi somma ponderazione, giusta l'ammonimento gravissimo di San Paolo a Timoteo: *Manus cito nemini imposueris* [2]. In tutto ciò conviene posporre qualsiasi altra considerazione, che sarebbe sempre da ritenersi inferiore a quella rilevantissima della dignità del sacro ministero. — Importa poi grandemente, che a formare negli alunni del santuario un'imagine viva di Gesù Cristo, nel che si assomma

[1] Conc. Trident. Sess. XXIII, c. XVIII, *De Reformat.*

[2] I Timoth. V, 22.

tutta l'educazione ecclesiastica, i moderatori e gl'insegnanti alla diligenza e alla perizia propria del loro ufficio congiungano l'esempio di una vita al tutto sacerdotale. La condotta esemplare di chi presiede, massime ai giovani, è il linguaggio più eloquente e persuasivo per ispirare negli animi loro il convincimento dei propri doveri e l'amore al bene. Un'opera di tanto rilievo richiede principalmente dal direttore di spirito prudenza non ordinaria e cure indefesse; onde un tale ufficio, che desideriamo non manchi in verun Seminario, vuol essere affidato ad ecclesiastico molto esperto nelle vie della perfezione cristiana. Ed a lui non sarà mai abbastanza raccomandato d'infondere e coltivar negli alunni colla maggiore sodezza quella pietà la quale è per tutti feconda, ma specialmente pel clero, di utilità inestimabili [1]. Perciò sia egli sollecito di premunirli altresì da un pernicioso inganno, non infrequente tra' giovani, cioè di lasciarsi talmente prendere all'ardore degli studi, da non curar poi a dovere il proprio avanzamento nella scienza dei Santi. Quanto più la pietà avrà messo radici profonde nei chierici, tanto meglio saranno temprati a quel forte spirito di sacrifizio, ch'è al tutto necessario per zelare la gloria divina e la salvezza delle anime. — Non mancano, la Dio mercè, nel clero italiano sacerdoti che diano nobili prove di quanto possa un ministro del Signore, penetrato di siffatto spirito; mirabile la generosità di quei tanti che per dilatare il regno

[1] I Timoth. IV, 7, 8.

di Gesù Cristo, corrono volenterosi in lontane terre ad incontrare fatiche, privazioni e stenti d'ogni maniera, ed anche il martirio.

Di questa guisa, scorto da provvide ed amorevoli cure nella conveniente coltura dello spirito e dell'ingegno, verrà a grado a grado formandosi il giovane levita, quale lo richieggono la santità della sua vocazione ed i bisogni del popolo cristiano. Il tirocinio in verità non è breve; eppure vorrà essere protratto anche oltre il tempo del Seminario. Conviene infatti che i giovani sacerdoti non siano lasciati senza guida nelle prime fatiche, ma vengano confortati dalla esperienza de' più provetti che ne maturino lo zelo, la prudenza, e la pietà; ed è spediente altresì che, ora con esercitazioni accademiche, ora con periodiche conferenze, si allarghi l'uso di tenerli continuamente esercitati negli studi sacri.

È manifesto, Venerabili Fratelli, che quanto abbiamo sin qui raccomandato, lungi dal menomamente nuocere, giova anzi in singolar modo a quella operosità sociale del Clero, da Noi in più occasioni inculcata come necessaria ai nostri giorni. Poichè coll'esigere la fedele osservanza delle norme da Noi richiamate, si viene a tutelare ciò che di siffatta operosità dev'essere l'anima e la vita. — Ripetiamo dunque anche qui, e più altamente, esser mestieri che il Clero vada al popolo cristiano, insidiato da ogni parte, e con ogni sorta di fallaci promesse adescato segnatamente dal socialismo ad apostatare dalla fede avita; subordinando però tutti la propria azione all'autorità

animi ardore debeant fidei sanctae studiosam sectari. Auspicem divinorum munerum, Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem peramanter tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Decembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO TIT. BASILICAE XII APOSTOLORVM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI NETO
PATRIARCHAE LISBONENSI
CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS PORTVGALLIAE
OLISSIPONEM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Portugalliae Episcoporum gratulationes et vota, affluentibus per haec iucunda Iubilaei Pontificalis tempora fidelium omnium obsequiis, non communi laetitia suscepimus. Praesules enim tam clari regni quemadmodum longo saeculorum spatio adhaesisse firmiter Apostolicae Sedi exploratum habemus, ita summopere placuit non eisdem peramplam occasionem istam fuisse prolapsam fidelitatis observantiaeque testandae. Atque hisce quidem sensibus demonstratis, gratia quoque ac memoria repetiistis collocata per Nos in unumquemque vestrum beneficia, illudque praecipue

benefactum quod, condito curis Nostris in Urbe Seminario Portugalliensi, civibus vestris universis obvenit. Profecto hoc tale pietatis ac litterarum praesidium sacrorum alumnis comparantes, nihil spectavimus aliud quam ut eorum copia nationi vestrae suppeteret, qui et salubrem Romanae Sedis reverentiam foverent et catholicas vivendi sentiendique normas in omni Portugalliae populo alerent. Spem autem bonam amplectimur fructuum sine dubitatione uberum, futurumque confidimus ut quae gens laudem catholici nominis constanter est adepta, eadem maiora in dies ornamenta, Apostolica profitenda fide, assequatur. Existimamus autem valde posse ad expetita religionis commoda conducere si vos omnes, quo estis voluntatum vinculo coniuncti, operam in dies studiosiorem praestetis rei catholicae actionique catholicorum amplificandae, probisque in populo sive commentariis sive libris vulgandis. Vestram vero alacritatem augemus benedictione Apostolica, quam vobis, vestrisque fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Decembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
DOCTORI CAROLO LUEGER
MAGISTRO CIVITATIS
VINDOBONAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Aureum numisma, quod, civitatis decreto, cudendum Nostroque Nomini dedicandum curastis, etsi quidem artificio ac pretio magnopere commendetur, at Nobis gratum ea praecipue de caussa accidit, quod fidem vestram obsequiumque erga Apostolicam Sedem testatur amplissime. Enimvero delectat mirifice ac solatur animum quod Civitas, Imperii caput, totque nominibus insignis, sese Christi Vicario addictam publice profiteatur, ea nimirum tempestate quum tot ubique vel pravis opinionibus vel hominum respectu Petri Cathedram oderunt et adversantur. Tuum esto, dilecte Fili, tuorumque in magistratu collegarum hanc sedulo servare laudem; memores nempe quam optime Romani Pontifices de civitate vestra semper sint meriti. —

Interea de oblato numismate gratias quammaximas agimus. Paternae vero benevolentiae testem ac munerum divinorum auspicem, tibi, collegis tuis totique Vindobonensium civitati Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Decembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCCII

I.

DIE XIX OCTOBRIS

AD PATRIARCHAM ANTIOCHENSEM SYRORVM

ET LEGATOS EIVSDEM CLERI

Quod Nobis Pontificatus maximi diuturnitate gratularis verbis amantissimis, idque non tuo tantummodo, sed et collegarum in episcopatu tuorum, totiusque Cleri nomine, agnoscimus communem pietatem vestram; hinc vero sponte vehitur cogitatio ad origines Ecclesiae Antiochenae Syrorum et ad proxima originibus tempora; quibus temporibus Oriens atque Occidens fraterna caritate coniuncti atque idem de fide sanctissima sentientes, magnorum communione bonorum perfruebantur. Vim posteriorum tempestatum, quae malo fato concordiam sustulere, nihil est opus hodie meminisse, nisi ob eam caussam, ut memoria vetera repetendo, incitetur vehementius ad pristina decora renovanda animus. Magnum opus atque arduum, si quod aliud: nihilominus hoc eniti, Deo adiutore, oportet, hoc omni ope contendere, ut in Syria vestra

apud catholicos vigeat, apud reliquos, si fieri potest, reviviscat germana illa atque incorrupta doctrina, quam et ipse Princeps Apostolorum genti vestrae primus tradidit et Ignatius Theoforus cruore suo fortissime consecravit. In hanc rem Nos quidem nonnihil iam suscepimus operae, plus etiam suscepturi, quoad vita suppetet. Maximum vero ac suave solatium ex eo percipimus, quod tua modo dicta confirmabant, elaborare vos in eadem caussa, itemque in posterum magno animo elaboraturos.

Propitius respiciat Deus salutare propositum vestrum, eiusque gratia ad contendendum paratis consilia ac vires benigne sufficiat. Cuius divini muneris esto auspex Apostolica benedictio, quam tibi, collegis, universoque clero et populo vestro peramanter in Domino impertimus.

di coloro, *cui lo Spirito Santo ha costituito Vescovi per reggere la Chiesa di Dio;* senza di che seguirebbe confusione e disordine gravissimo, a detrimento anche della causa che hanno a difendere e a promuovere. Anzi a tal fine desideriamo che i candidati al sacerdozio, sul termine della loro educazione nei Seminari, vengano convenientemente ammaestrati nei documenti pontifici che riguardano la questione sociale e la democrazia cristiana, astenendosi peraltro, come più sopra abbiam detto, dal prendere qualsiasi parte al movimento esterno. Fatti poi sacerdoti si volgano con particolare studio al popolo, stato sempre l'oggetto delle più amorose cure della Chiesa. Togliere i figli del popolo alla ignoranza delle cose spirituali ed eterne, e con industriosa amorevolezza avviarli ad un vivere onesto e virtuoso; raffermare gli adulti nella Fede dissipandone i contrari pregiudizi, e confortarli alla pratica della vita cristiana; promuovere tra il laicato cattolico quelle istituzioni che si riconoscano veramente efficaci al miglioramento morale e materiale delle moltitudini; propugnar sopra tutto i principî di giustizia e carità evangelica, ne' quali trovano equo temperamento tutti i diritti e i doveri della civil convivenza: tale è nelle precipue sue parti il nobile cómpito della loro azione sociale. Ma abbiano sempre presente, che anche in mezzo al popolo il sacerdote deve serbare integro il suo augusto carattere di ministro di Dio, essendo egli posto a capo dei fratelli, principalmente *animarum causâ* [1]. Qualsivoglia

[1] S. Gregor. M. *Regul. Past.* Pars. II, c. VII.

maniera di occuparsi del popolo, a scapito della dignità sacerdotale, con danno dei doveri e della disciplina ecclesiastica, non potrebbe essere che altamente riprovata.

Ecco quanto, Venerabili Fratelli, la coscienza dell'Apostolico ufficio C'imponeva di far rilevare, considerate le condizioni odierne del Clero d'Italia. Non dubitiamo, che in cosa di tanta gravità ed importanza, alla sollecitudine Nostra voi saprete congiungere le più solerti ed amorose industrie del vostro zelo, ispirandovi specialmente ai luminosi esempi del grande Arcivescovo, San Carlo Borromeo. Pertanto a dare effetto a queste Nostre prescrizioni, avrete cura di farne argomento delle vostre regionali Conferenze, e di consigliarvi su quei provvedimenti pratici che secondo i particolari bisogni delle singole Diocesi vi sembreranno più opportuni. Ai divisamenti ed alle deliberazioni vostre non mancherà, ove sia d'uopo, il presidio della Nostra autorità.

Ed ora con parola che ne viene spontanea dall'intimo del Nostro cuore paterno, Ci volgiamo a voi, quanti siete sacerdoti d'Italia, raccomandando a tutti e a ciascuno, che mettiate ogni impegno nel corrispondere sempre più degnamente allo spirito proprio della vostra eccelsa vocazione. A voi ministri del Signore diciamo con più ragione che non disse San Paolo ai semplici fedeli: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* [1]. L'amore della comune madre la Chiesa

[1] Eph. IV, 1.

rinsaldi e rinvigorisca tra voi quella concordia di pensiero e di azione, che raddoppia le forze e rende più feconde le opere. In tempi tanto infesti alla religione e alla società, quando il Clero d'ogni nazione è chiamato ad unirsi compatto per la difesa della fede e della morale cristiana, si appartiene a voi, figli dilettissimi, cui particolari vincoli congiungono a questa Sede Apostolica, precedere a tutti gli altri coll'esempio, ed essere i primi nella illimitata obbedienza alla voce e ai comandi del Vicario di Gesù Cristo. — Così le benedizioni di Dio scenderanno copiose, quali Noi le invochiamo, a mantenere il Clero d'Italia sempre degno delle illustri sue tradizioni.

Auspice intanto dei divini favori sia l'Apostolica benedizione, che a voi, Venerabili Fratelli, ed a tutto il Clero alle vostre cure affidato, con effusione di cuore impartiamo.

Dato a Roma presso S. Pietro, nel dì sacro alla Immacolata Concezione di Maria, 8 Dicembre 1902, anno vigesimo quinto del Nostro Pontificato.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPO QVITENSIVM
CETERISQVE AEQVATORIS EPISCOPIS
QVITVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET AFOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Dum multa tristitia premimur ob miserum statum ad quem redactam scimus Aequatorianam Ecclesiam, delectati valde sumus opportunis publiceque prolatis edictis, quibus vos sollicitudine pastorali commoti, legibus non modo ecclesiastico, sed etiam divino iuri adversis, inde ab eo tempore quo eaedem rogabantur, reclamare non dubitastis, omne studium omnemque operam impendentes ut re integra. publici oratores legibus ferendis a pernicioso consilio retraherentur. Haud vos latet quanta animi indulgentia ac facilitate in religiosam patriae vestrae tranquillitatem reintegrandam incubuerimus, quae ad Ecclesiae ac civitatis bonum maximi profecto momenti est. At quae spes erant a Nobis susceptae ac populo etiam Aequatoriano fere universo affulgebant, misere exciderunt. Etenim non

modo deleteribus iniuriis satisfactum non est, verum etiam aliae iisdem superadditae sunt eaeque gravissimae, dum constitutam quamdam secundum sacros canones dioecesim sublatam videmus; Episcopos vacantibus dioecesibus, sine ullo Sedis Apostolicae existente privilegio, propositos scimus; ac tandem impeditam diversis modis matrimonii christiani sanctitudinem cognovimus.

Rem attingimus cum saepe alias a Nobis declaratam, tum maxime Apostolicis Litteris diei x Februarii anni MDCCCLXXX, quibus dedita opera docuimus quae christiani connubii natura sit, quae firmitas, quot curas Ecclesia contulerit eius honori ac iuribus tutandis, quaeque sint in eo partes potestatis civilis. Cum scilicet humanae Redemptor ac restitutor naturae Christus Filius Dei matrimonium christianum dignitate auxerit sacramenti, omne apud christianos matrimonium idem sacramentum illico est, nec ratio contractus a sacramenti ratione seiungi nullo modo potest: quo fit ut, integro permanente civilis potestatis iure eos effectus moderandi quos civiles appellant, matrimonium auctoritati subsit Ecclesiae. Exploratum praeterea est, eumdem gentium omnium Redemptorem Iesum delevisse repudii consuetudinem, auctumque virtute sancta matrimonium ad firmitatis legem revocasse, quemadmodum ipsius voluntate Dei est ab initio statutum. Sequitur idcirco ut christianorum matrimonium, simul ac perfectionem omnem sit adeptum, sanctum individuum, perfectumque consistat, nec, nisi occupante coniugem morte, ratione ulla posset, secundum eloquia sacra, dissociari: *Quod Deus*

coniunxit, homo non separet. Nimirum multiplicem humani generis utilitatem Iesus Christus spectavit; nam ad bonos mores servandos aut restituendos nihil magis conducit, neque ad mutuum fovendum in utroque coniuge amorem, ad familias divina quadam vi confirmandas, ad institutionem tuitionemque sobolis, ut par est, ripristinandam, ad sustinendam mulieris dignitatem, ad decus denique prosperitatemque comparanda familiaris civilisque consociationis, utilior atque etiam praestabilior cogitari res ulla potest.

Quapropter pro supremi Doctoris officio, quo custodes ac vindices divini ac ecclesiastici iuris existimus, vocem attollimus, omninoque improbamus latas nuper in ista Republica leges de matrimonio, quod vocant civili, ac de divortiis, unaque simul illa reiicimus, quae in sacram Ecclesiae disciplinam apud vos attentata fuere. Quod, vobis repugnantibus statutae ac iussae huiusmodi leges sint, adeo civilium incremento rerum ac religionis rationibus contrariae, non est, Venerabiles Fratres, cur animo frangamini; immo vero exaugendum vobis rei sacrae studium, vigilantiaque adhibenda maior est. Pergite igitur, ut facitis, neglecta ac contempta Ecclesiae iura invicte defendere; fideles, vestris curis concreditos, edocete, eosque sic imbuite ut debitam iis qui praesunt reverentiam servantes, doctrinae religionis catholicae adhaereant atque ad eam mores instituant; ac omnes unanimiter enixis impensisque precibus a Ss. Christi Iesu Corde, cui omnium prima nationum gens vestra devota solemniter

est, contendite ut per suae misericordiae abundantiam Aequatorianae Ecclesiae iucundiora largiri tempora velit. Comites consortesque et dolorum et obsecrationum vestrarum Nos usque manemus; quum interea testem benevolentiae Nostrae divinorumque munerum auspicem, Apostolicam benedictionem vobis vestrisque fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Decembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
H. DEBOUT SACERDOTI
DOMREMIVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Admiranda Ioannae Arcensis gesta, quae singulari quodam et religionis et patriae studio conscripsisti, pergrato abs te dono suscepimus. Illa profecto per aetatem Nostram rediere tempora, quum in fortissimam Virginem Aurelianensem intendebantur animi Gallorum, non dubiam spem civitatis tutandae ex humilis virtute puellae colligentes. Nimirum qui cives in reipublicae incrementum incumbunt, iidem, Ioanna praeeunte, ad religionis etiam observantiam et cultum appellant voluntates oportet. Quapropter merita te gratulatione honestamus, quod tam nobilem excellentium virtutum exemplar universis Gallis in Arcensi adolescente proponas, multamque ex oblato opere consecuturam utilitatem speramus; quum qui clarissimam civem detrimentum reipublicae prohibentem suspiciant, consimili

II.

DIE XXIII DECEMBRIS

AD S. R. E. CARDINALES

REDEVNTIBVS DOMINICAE NATIVITATIS SOLLEMNIBVS

Non useremo molte parole, Venerabili Fratelli, a significarvi l'animo Nostro grato degli amorevoli sensi, espressi a nome comune dal venerando Cardinale, Decano del vostro Collegio. Questo però non vogliamo tacere, che oggidì più che mai Ci riposiamo con fiducia nella unanime devozione vostra. Cooperatori benemeriti per sì lungo tratto, Ci accompagnerete ancora, pur fra le crescenti asprezze del cammino, con lo stesso operoso amore.

L'anno giubilare, oggetto delle cortesi vostre gratulazioni e delle non interrotte dimostrazioni di affetto del mondo cattolico, trascorre amareggiato, come vedete, per contingenze sociali troppo dolorose al cuore d'un Papa. Violate già in cento guise le ragioni della Chiesa e del nome cattolico, ecco andar oltre per la stessa via, sino al sovvertimento legale di sante istituzioni cristiane. Ma non sono esse una porzione, e la più eletta, dell'eredità lasciata da Cristo ai popoli redenti, e ordinate espressamente a custodia e tutela di sovrani beni morali, prima radice d'ogni altro bene all'umano consorzio? Ah non è sincero amore di pubblica prosperità o d'incrementi civili, che muove gli artefici di tali sciagure! ciò che si vuole e si cerca, è il crollo degli ordini cristiani e la ricostituzione degli Stati sulle basi del naturalismo pagano. Se sta scritto in cielo che tra siffatte amarezze quest'ultima reliquia si estingua della Nostra giornata, chiuderemo in rassegna-

zione le stanche pupille benedicendo il Signore, ma colla persuasione in cuore fermissima che, venuta l'ora della misericordia, sorgerà egli stesso a salute delle genti, assegnate in retaggio all'Unigenito di Dio.

Le ultime parole sue alludono, signor Cardinale, all'azione democratica cristiana, che è al dì d'oggi, com'ella ben comprende, un fatto di non leggiera importanza. A cotesta azione, tutta consentanea all'indole del tempo e ai bisogni che la suscitarono, Noi demmo sanzione ed impulso, divisandone peraltro assai nettamente lo scopo, il modo, i confini; cosicchè se in questa parte accadesse a taluno di dare in fallo, certo non gli accadrebbe per mancanza di guida autorevole. Ma parlando in generale di coloro che si son posti a quest'opera, italiani ed esterni, è indubitato che vi s'affaticano attorno con buon zelo e frutto notabile: nè deve passare inosservato l'utile contributo che pur vi stanno recando centinaia di giovani valorosi. Anche il Clero confortammo ad entrare con certi riguardi in questo medesimo campo d'azione, perchè, a dir vero, non c'è assunto di schietta carità giudizioso e proficuo, al quale sia straniera la vocazione del sacerdozio cattolico. Or non è forse carità vera ed opportunissima questa di applicarsi con premura e disinteresse a migliorare le spirituali condizioni e le sorti materiali delle moltitudini? Il materno amore della Chiesa verso gli uomini è universale come la paternità di Dio; ma nondimeno, fedele alle sue origini e memore di esempi divini, ella ebbe sempre in costume d'accostarsi con un senso di predilezione agli umili, a quei che soffrono, ai reietti della fortuna. Quando sia sinceramente e costantemente informata allo spirito di questa madre universale dei popoli, può ben confidarsi di non fallire al suo scopo la cristiana democrazia; e niuno s'adombri del vocabolo, quando si sa che la cosa è buona. Inteso come lo intende la Chiesa, il concetto democratico non soltanto si accorda a maraviglia coi dettami rivelati e le religiose credenze, ma nacque anzi

e fu educato dal cristianesimo, ed è la predicazione evangelica che lo diffuse fra le genti. Atene e Roma non lo conobbero, se non quando ebbero udito la voce divina che disse agli uomini: *Voi siete tutti fratelli, e il Padre vostro comune sta nei cieli.*

Fuori di questa democrazia che si denomina ed è cristiana, con ben altri ideali e per altre vie s'avanza il movimento democratico sedizioso e senza Dio. Giorni amari ei prepara agli Stati civili, che pur lo si covano in seno carezzandolo. Ora l'azione popolare cristiana, esplicandosi sul medesimo soggetto, è una forza emula che s'interpone al successo di quello e vale in molti casi a preoccuparne l'opera. Se altro non conseguisse che di contendere il terreno alla democrazia socialistica e circoscriverne i perniciosi influssi, avrà reso con ciò solo un servigio non piccolo all'ordinato vivere civile e al cristiano incivilimento.

In affettuoso ricambio degli augurî, imploriamo dal cielo le più elette benedizioni al sacro Collegio, e quella ne sia come pegno che con effusione di cuore gli impartiamo Noi, estendendola ai Vescovi, ai vari Prelati, e a tutti gli altri che qui Ci fanno gradita corona.

ADDENDA

—

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS REGIONIS MEXICANAE

—

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Compertum habemus, Venerabiles Fratres, eam esse mentem in Vobis ut, iuxta Concilii Plenarii Americae latinae vota, aliqua studiorum nova Universitas erigatur, in qua adolescentes ecclesiae Mexicanae alumni magisterii lauream aliosque academicos gradus in sacris disciplinis assequi valeant. Id Nobis consilium probare admodum placet. Novimus enim quanto rei catholicae emolumento sit optima quaeque studia provehere et viros sacri cleri ad solidam salubremque doctrinam informatos habere. Hoc vero propositum ut facilius opere perfici liceat, dilectum filium Richardum Sanz de Samper, domus Nostrae Pontificalis Antistitem, morum probitate, doctrina et prudentia specta-

tum, ad Vos mittendum censuimus, eumque comitati et benevolentiae vestrae valde commendatum volumus. Quidquid ergo ad felicem huius negotii exitum conducere videbitur, communicatis sententiis cum eo agere Vobis erit. Sed et de ceteris ecclesiarum vestrarum utilitatibus parandis et de religionis statu, libere ac fidenter cum eodem mentem vestram aperire non ambigatis, ut ipse Nos de omnibus certiores, uti par est, reddere possit: Nos vero, pro Apostolica nostra sollicitudine, quae in catholici nominis incrementum et animarum salutem cedere noverimus, libenter praestare satagemus. Optatis igitur Nostris iisdemque vestris in religionis bonum obsecundare velit Deus; et interim divinorum munerum auspex et benevolentiae Nostrae pignus sit Apostolica benedictio, quam Vobis, Venerabiles Fratres, clero et universo populo fidei vestrae commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Februarii MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

DIOECESIS MIXTECANENSIS

IN MEXICANA REPVBLICA ERIGITVR [1]

—

LEO EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Apostolica Sedes de spirituali Christifidelium ubicumque existentium utilitate constantem gerens curam, ut aptius illorum bono consuleretur, ea quae ad id assequendum magis in Domino respondere censuit, pro necessitate et opportunitate statuere et ordinare numquam praetermisit. Quapropter cum ad finem consulendi Christifidelium prosperitati maxime conferat, ut Praesulum numerus augeatur, qui ab ipso Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei, Praedecessores Nostri summopere curarunt,

[1] Datae mense Aprili MDCCCCII: expeditae mense Martio MDCCCCIII. Paulo post, per Decr. S. C. Consist. dat. die XIII Novembris MDCCCCIII, haec ipsa dioecesis Huajuapamensis a Leone nuncupata est.

quoties id rerum adiuncta permiserunt, ut dioeceses quae nimis late per orbem catholicum patent, arctioribus circumscriberentur limitibus, aliaeque exinde erigerentur Episcopales Sedes, unde possent fideles facilius necessaria ad christianam vitam subsidia ac spiritualia adiumenta uberiora percipere. Hoc animo Nos ducti, cum, anno Domini nongentesimo exeunte, pergratas ex parte dilectorum filiorum Primorum e civibus provinciae, seu Comarcae, Mixtecas appellatae, in Mexicana Republica existentis, ad Nos et Sedem Apostolicm allatae fuerint preces, deprehendimus regimen, ex quo Comarca seu provincia Mixtecas constat, quae pro una Archidioecesis Antequerensis, pro altera vero parte dioecesis Tlascalensis, seu Angelorum, spirituali iurisdictioni hactenus subiecta existit, longe abesse a praedictis de Antequera Archiepiscopali, et Tlascalensi seu Angelorum Episcopali civitatibus, quibus eiusdem provinciae, seu Comarcae Mixtecas, fideles actu respective, ut praefertur, subiecti sunt, adeo ut ipsis tum propter locorum distantiam, tum propter itinerum difficultates ad suos Pastores accedere, et Pastoribus vicissim suum gregem invisere eisque paternae suae curae officia coram impertire admodum difficile sit, quod quidem dominico gregi non levis est discriminis et detrimenti; praetereaque, ut in dictis supplicationibus exponebatur, proprium et peculiarem Pastorem eius regionis utilitati praecipuo modo respondere posse, cum ea regio magna ex parte indigenis civibus incolatur, quórum stirps et genus sub nomine Mixtecas a finitimis populis moribus,

cultu et lingua distinguitur. Subiungebant demum praefati Primores minime deesse in eadem regione de Mixtecas plures commoditates, tum ex amplis ecclesiis in ea existentibus et aedificiis publicis, tum ex decore et splendore religiosi cultus, et ex pia et christiana habitatorum indole, ex quibus efficeretur, ut nova dioecesis aliis in Mexicana Republica rite et optime constitutis plane se possit exaequare. Quapropter praedicti cives Primores enixis precibus a Nobis efflagitabant, ut totum praedictum territorium praefatae provinciae seu Comarcae de Mixtecas appellatae, ab utraque praedicta dioecesi respective avulsum et direptum, in peculiarem et separatam dioecesim erigere dignaremur. Quas quidem preces, quaeque pientissima vota obsecundare non modo opportunum, quin imo necessarium iudicavimus, perspecta utilitate et opportunitate huius novi Episcopatus erectionis, atque attento favore quem pro hac erectione Venerabiles Fratres Nostri hodierni Archiepiscopi Mexicanus et de Antequera respective praestiterunt. Cunctis igitur, quae in huiusmodi negotiis animadvertenda sunt, maturo studio ac deliberatione perpensis, nec non omnes et singulos quibus praesentes litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio, ex certa scientia, et de Apostolicae potestatis plenitudine, primo civitatem vulgo Huajuapam nun-

cupatam, quae totius regionis seu Comarcae de Mixtecas appellatae, caput est et princeps, ad Episcopalis civitatis fastigium novae, ut infra erigendae, dioecesis de Mixtecas, Apostolica auctoritate evehimus atque attollimus, ita ut ipsa deinceps Civitas Episcopalis nuncupari atque uti talis haberi debeat, ipsamque civitatem pro Episcopi de Mixtecas in temporibus sede et residentia constituimus, fruituram propterea omnibus et singulis iuribus, honoribus, favoribus, gratiis, privilegiis et praerogativis, quibus aliae in Mexicana Republica civitates Episcopali Sede insignitae earumque cives utuntur, fruuntur et gaudent. Item parochialem ecclesiam in eadem civitate existentem et honori sancti Ioannis Baptistae dicatam, amplae structurae et ad divina magno cum decore peragenda optime exornatam, ad Cathedralis statum et dignitatem sub eodem titulo et invocatione extituram ac eamdem servaturam parochialitatem, cum animarum cura, uti antea, exercenda, pari Apostolica auctoritate evehimus atque perpetuo erigimus; et in ea sedem, cathedram et dignitatem Episcopales pro uno posthac Episcopo de Mixtecas nuncupando, qui eidem Ecclesiae illique civitati et dioecesi, eiusque pariter Clero et populo in Domino praesit, Synodum convocet, omnemque Episcopalem ordinariam iurisdictionem supra loca, res, personas ac omnia et singula iura, officia et munia episcopalia respective habeat et exerceat, cum suis mensa episcopali, Capitulo, arca, sigillo, ceterisque Cathedralibus et Pontificalibus insigniis, iuribus, iurisdictionibus, honoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus et mixtis,

quibus aliae in memorata Republica Mexicana existentes Cathedrales Ecclesiae eorumque Praesules, non tamen ex indulto peculiari, aut titulo oneroso, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac frui potiri et gaudere poterunt, simili auctoritate perpetuo ponimus et instituimus. Insuper omnium et quorumcumque interesse habentium, vel habere praesumentium, consensui eadem Apostolica auctoritate quam plenius, et quatenus opus sit, supplentes, curiales Praeposituras, seu Foranias, vulgo Juxtlahuaca et Tamazulapan dictas, quae actu ad spiritualem iurisdictionem et territorium Archiepiscopalis Ecclesiae de Antequera pertinent, et fere septuaginta duo millia habitatorum continent, eadem auctoritate ab hac Archidioecesi seiungimus, dismembramus, et perpetuo dividimus, pariterque Curiales Praeposituras, seu Foranias in locis Huajuapam, Tzilacayoapam, Tamazola, Acatlan et Piaxtla consistentes, quaeque in praesens episcopali iurisdictioni dioecesis Tlascalensis seu Angelorum subiectae sunt, et in quibus fere viginti duo millia habitatorum censentur, ab eiusdem Tlascalensis dioecesis territorio pari auctoritate etiam perpetuo disiungimus et dismembramus. In praedictis autem territorio, Foraniis, seu locis respective dismembratis et divisis, consistentes et consistentia Ecclesias, Monasteria, Praeposituras, conventus et alia quaecumque et qualiacumque saecularia et regularia beneficia, omniumque pariter et singularum Foraniarum a praedictis dioecesibus respective avulsarum et seiunctarum utriusque sexus personas, habitatores et incolas tam laicos quam Clericos, Presbyteros,

Beneficiatos et Religiosos non tamen exemptos, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis, ab ordinaria iurisdictione, potestate et superioritate respectivorum Ordinariorum, ut praefertur, actu existentium, et ab omni iure Capitulorum et Canonicorum Cathedralium respective Ecclesiarum praedicta Apostolica auctoritate perpetuo quoque eximimus et liberamus, et Foranias, seú loca, superius expressas et expressa, a supra dictis dioecesibus, ut supra, avulsas et avulsa, separatas et separata, pro dioecesi novi Episcopatus de Mixtecas, ubi novus Episcopus eiusque legitimi successores semper residere debebunt, perpetuo assignamus et constituimus, nec non eosdem utriusque sexus habitatores et incolas et religiosos superius expressos episcopali Ecclesiae de Mixtecas sic noviter erectae, eiusque futuro Praesuli pro suis civitate, territorio, dioecesi, Clero et populo perpetuo adscribimus, attribuimus atque subiicimus. Fines autem ac limites sic noviter erectae dioecesis de Mixtecas iidem prorsus sint, ac illi quibus iuxta territorialem circumscriptionem a civili lege in Mexicana regione constitutam totum territorium regionis seu Comarcae de Mixtecas nuncupatae actu continetur, comprehenditur et terminatur. Volumus etiam ut omnia et singula documenta ecclesiastica respicientia Foranias et loca respective a territoriis Archidioecesis de Antequera et dioecesis Tlascalensis seu Angelorum divisa et separata ac novae episcopali Ecclesiae de Mixtecas assignata atque attributa, ab utraque praedictarum Cancellaria extrahantur, et Cancellariae novi Episcopatus de Mixtecas,

cui addicta fuerunt, opportuna forma tradantur ut in ea ad quamcumque necessitatem perpetuo asserventur. Et porro cum sit admodum necessarium quod congruis proventibus et reditibus, Episcopali mensae, Seminario Clericorum constituendo, dioecesanis operibus, ac divino cultui tuendo in noviter erecta dioecesi, eo, quo par est, decore consulatur, uberes proventus qui in praedicta regione de Mixtecas, decimarum nomine ex collatione fidelium, qui in adimplendo ecclesiastico praecepto super solutione decimarum sese admodum observantes exhibent, percipiuntur, huius novae dioecesis dotationi et sumptibus inservire debeant, simili Apostolica auctoritate decernimus et statuimus; firma spe in Domino confisi, fore ut pietas fidelium, quorum spirituali bono ac utilitati haec nova sedes erecta est, eius necessitatibus ad Dei gloriam et Religionis rationes promovendas, in dies magis studiosa liberalitate occurrat. Pro decenti autem novi Episcopi de Mixtecas eiusque legitimorum successorum residentia amplum aedificium, quod in noviter constituta episcopali civitate ipsi Ecclesiae in Cathedralem sic erectae adnexum et coniunctum existit, addicimus et constituimus. Et quoniam divini cultus decus prae ceteris Nobis cordi esse debeat, novi futuri Episcopi de Mixtecas sollicitudini iniungimus, ut Cathedrale Capitulum iuxta canonicas regulas in sua dioecesi, cum primum fieri poterit, erigendum curet, constitutis Theologali et Poenitentiaria Praebendis, servatisque iisdem dignitatibus aliarum Cathedralium Ecclesiarum in Mexicana Republica existentium; collatio

vero dignitatis post Pontificalem maioris Sedi Apostolicae semper et perpetuo reservata sit. Interim vero donec praedictum Capitulum canonice fuerit constitutum, ipse Episcopus consilium sibi ex probatis et prudentibus viris assumat, ac eorum prudentiae adiumento in maioribus expediendis suae dioecesis negotiis utatur. Cui quidem Capitulo, ubi primum ipsum fuerit canonice constitutum, ut statuta, ordinationes et decreta iuxta sacrorum canonum et praecipue Concilii Tridentini praescriptiones conficere sibi valeat, quae tamen ut legis vim habeant et efficaciam, Ordinarii Antistitis cognitioni et approbationi erunt subiicienda, facultatem facimus et impertimus; eidemque similiter Capitulo ut omnibus privilegiis, iuribus, favoribus et gratiis, quibus alia pariter aliarum Cathedralium Ecclesiarum superius memoratae Reipublicae Capitula utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, iis tamen exceptis ex peculiari indulto concessis, vel titulo oneroso acquisitis, similiter uti frui, potiri et gaudere possit et valeat, perpetuo concedimus et indulgemus. Illud autem summopere Nos urget, ut novus de Mixtecas Episcopus novam impendat operam ad dioecesanum Seminarium sacris alumnis instituendis erigendum iuxta enunciati Concilii Tridentini praescriptiones, et omni studio satagat ut in eo ipsorum alumnorum pietas, morumque sanctitas pro susceptione sacrae ordinationis admodum propria excolatur et foveatur, sana doctrina praesertim ex Angelici Doctoris Aquinatis fontibus hausta accurate tradatur. Cum vero Nobis et Sedi Apostolicae facultatem reservare intenda-

mus, novam in his Reipublicae Mexicanae partibus, de quibus in praesens agitur, quoad ecclesiasticas provincias perspecta fidelium utilitate, ordinationem et circumscriptionem decernendi, interea, donec quod opportunum Nobis in Domino actu visum fuerit, exequutioni demandetur, dioecesim de Mixtecas sic noviter erectam et constitutam Apostolicae Sedi immediate subiectam manere debere decernimus et declaramus. Et insuper Nobis eidemque Sedi Apostolicae facultatem reservamus, in hac nova dioecesi, ita erecta, et finibus ei assignatis, novam ipsius novae dioecesis dismembrationem, seu circumscriptionem libere ineundi, quotiescumque pro circumstantiarum ratione id magis in Domino apparuerit utile, quin ullum in id Antistitis et Capituli Cathedralis assensum exquiri, vel territorialem ullam compensationem attribui et constitui necesse sit. Canonicam autem taxam memoratae de Mixtecas Ecclesiae in Cathedralem erectae, habita ratione temporum, in Florenis auri de Camera triginta tribus cum tertia Floreni similis parte constituimus atque ita in libris Camerae Apostolicae de more inscribi mandamus. Tandem decernimus ut ea omnia, quae res, iura et personas ecclesiasticas respiciunt, et quorum expressa mentio in praesenti Nostro Motu proprio facta non est, firma et rata iuxta canonicas regulas et catholicae Ecclesiae disciplinam remaneant; quod si qua difficultas aut controversia quoad praemissa in praefata noviter erecta de Mixtecas dioecesi oriatur, ea ad Apostolicam Sedem erit deferenda quae, rebus omnibus accurate perpensis, prout de iure decernet.

Praesentes autem litteras, et in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel defectu, aut quavis ex causa, quamtumvis iuridica, legitima, sua et privilegiata, etiam ex eo quod quicumque in praemissis et circa praemissa quomodolibet interesse habentes, vel habere putantes, aut praesumentes, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, gradus et conditionis extent, ad id vocati, citati et auditi non fuerint ac iisdem praesentibus non consenserint, et causae, propter quas praemissa omnia emanarunt, adductae, verificatae, seu iustificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis seu invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quovis alio quantumvis iuridico, substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili ac specialem et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, colore vel praetextu, aliave ratione, aut causa, etiam tali, quae ad effectum validitatis earumdem praesentium necessario foret exprimenda, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos Iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, vel etiam Motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso et impetrato, quempiam uti, seu se iuvari posse in iudicio et extra illud, atque eas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limita-

tionibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque Litteras et Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae Regulas etiam consistorialiter ex quibusvis causis et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus et formis ac cum quibusvis decretis (etiamsi in eis de iisdem partibus eorumque toto tenore ac data specialis mentio fiat) quandocumque editas vel edendas, minime comprehendi vel comprehensas ullo modo censeri, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas ac plenarie reintegratas, ac de novo, etiam quacumque posteriori data, quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ita ab omnibus censeri, ac firmiter et inviolabiliter observari, sicque et non alias per quoscumque Iudices, ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi potestate et facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca ut haec omnia a Nobis superius constituta suum plenum sortiantur effectum, Venerabili Fratri Nostro Prospero Mariae Iosepho Alarcon Archiepiscopo Mexicano per ipsas praesentes committimus et mandamus ut ipse ad exequutionem prae-

missorum omnium et singulorum procedat, omnes et singulas ad id quomodolibet necessarias et opportunas ei impertiendo facultates, facta eidem insuper potestate alteram probam idoneamque personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegandi, ita tamen ut ipse Prosper Maria Iosephus Archiepiscopus vel eius subdelegatus, possit definitive pronunciare super quacumque oppositione adversus praemissa quomodolibet oritura. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae praefatae regulis, de iure quaesito non tollendo, ac dismembrationibus ad partes committendis, vocatis quorum interest, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in Synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, dictarumque Metropolitanae de Antequera et Cathedralis Tlascalensis seu Angelorum Ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis

alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime ac plenissime ac specialiter et expresse ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, pro hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Prosper Maria Iosephus Archiepiscopus infra quinque menses authenticum exemplar actorum omnium quae ad commissam exequutionem explendam ipse erit emissurus, ad hanc Apostolicam Sedem transmittere teneatur. Volumus etiam quod praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, erectionis, elationis, positionis, institutionis, seiunctionis, declarationis, subiectionis, addictionis, constitutionis, assignationis, adscriptionis, attributionis, iniunctionis, facultatis, impertitionis, concessionis, indulti, reservationis, decreti, statuti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem

hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo secundo, septimo kalendas Maii, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

AN. MDCCCCIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
GEORGIO TIT. SANCTAE AGNETIS EXTRA MVROS
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP
EPISCOPO VRATISLAVIENSI
VRATISLAVIAM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Opinionem, quam habemus iamdiu, eximiae pietatis observantiaeque in Nos tuae, probe confirmarunt quae abs te nuper advenere litterae. In his enim te filium Nostri perstudiosum ea exhibent vota, quibus et per haec dierum sollemnia Nos prosequeris, et anni a suscepto Pontificatu maximo vicesimi quinti felicem exitum adprecaris. Cuius quidem faustitas eventus si Nobis divino munere illuxerit, agnoscendus certe in hoc erit piarum fructus precum, quas toto orbe ad Deum Nostrâ caussa adhiberi novimus. Porro earumdem virtuti precum ipsi quidem tribuenda esse intelligimus quaecumque a Deo beneficia adhuc in perfunctione Apostolici muneris vel Nobis pri-

vatim vel publice per Nos obvenerint. Pergratum autem erit in ea laetitiae Nostrae celebritate, si cum ceteris collegis tuis, quos omnes fere ipsi creavimus, tu quoque coram adfueris: modo tibi per valetudinem, quod speramus, liceat. Quod vero Sedis Apostolicae levare angustias collata stipe studueris, agimus habemusque tibi gratiam: eo magis quod id genus subsidia opus Nobis etiam sunt ad certa quaedam consilia maturanda, quae tecum, cum opportunitas colloquendi fuerit, libenter communicabimus. Interea pietati tuae referentes vicem, caelestium bonorum tibi affluentiam ex animo precamur. Quorum auspicem eamdemque singularis Nostrae benevolentiae testem tibi, dilecte Fili Noster, et clero populoque tuo Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Ianuarii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
DOMINICO EPISCOPO NICOTERENSI
ET TROPIENSI

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Officiosa oblatum humanitate tuum opus excepimus, quod de regestis Romanorum Pontificum in Calabrae regionis Ecclesias haud ita pridem edidisti. Quae Decessoribus Nostris iam inde ab antiquissima aetate corde fuerunt curae Calabrae provinciae, quaeque in eamdem contulerunt ipsi benefacta, placuit fuisse per te demonstrata, idque non sine multa et rerum et litterarum scientia. Industriam propterea tuam, qua te Nobis et historiae et Ecclesiae bene merentem probasti, libet ea prosequi laude, quae et habita diligenter studia amplo praemio exornet, et nobile voluntati tuae addat incitamentum ad incorruptam rerum fidem praeclarius in dies asserendam atque explicandam. Gratum interea animum de munere professi,

testem benevolentiae Nostrae Apostolicam benedictionem peramanter tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Ianuarii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
MICHAËLI ANGELO TIT. SANCTI MARCI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI CELESIA
ARCHIEPISCOPO PANORMITANO
IOSEPHO TIT. SS. IOANNIS ET PAVLI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FRANCICA-NAVA
ARCHIEPISCOPO CATANENSI
CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS SICILIAE

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII NOSTRI AC VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nunciatum iucunde est, vos omnes Siciliae Episcopos Panormum proxime esse conventuros, de vestrarum progressione ecclesiarum sollicitos. Officii autem iidem esse existimastis ut vestram in Pontificem Maximum observantiam antea profiteremini, nobilique hoc pietatis coniunctionisque argumento non mediocrem daretis saluberrimae expectationis caussam. Porro praestitum a vobis obsequium, gratum, quam quod maxime, accidit; neque enim

non excitari Nos laetitia summa possumus, quum Venerabiles Fratres Nostros non prius ad conferenda fovendi gregis consilia coire cognoscimus quam, Apostolica petra solidati, haustam e sede Christi vicaria deliberandi prospiciendique virtutem susceperint. Accedentibus vero vobis ad gravissima omnium negotia pertractanda, aperire placet magnam Nos spem colligendorum fructuum esse complexos; siquidem et vestram industriam prudentiamque haud incompertam habemus, patentque eodem tempore cunctis quam multa, accommodate temporibus Nostrisque congruenter documentis, deliberanda videantur. Qua quidem in re praelucere sane mentibus poterunt editae nuper de instituendis Clericorum animis Litterae Encyclicae, quarum si adhaerere sensibus ac servare praescripta studium erit, lectissima profecto vobis efflorescet utilitatum seges. Auspicem divinorum munerum, Nostraeque testem benevolentiae, Apostolicam benedictionem vobis atque iis omnibus qui in laudato conventu intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Ianuarii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
FRANCISCO TIT. SANCTAE MARIAE IN VIA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RICHARD
ARCHIEPISCOPO PARISIENSI
LVTETIAM PARISIORVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam epistolam, morbo correptus, mittere ad Nos distulisti, maiore profecto iucunditate a te sanitati reddito excepimus, quum non modo votorum officium eadem Nobis exhiberet, verum etiam valetudinem tuam sine dubitatione confirmatam declararet. Iam si grata Nobis illa omina accidere quae per nati Iesu sollemnia de incolumitate Nostra concepisti, grata etiam obvenit tam humani officii remuneratio. Et quoniam ipsa rerum adiuncta suadere optatorum Nostrorum sensum videntur, Deum benignissimum enixe adprecamur, ut viribus tibi restitutis favere atque adspirare constanter velit, teque, Pastorem sollertem ac vigilantem, proficienti fidelium bono diutius adservet.

Gratiam simul habemus comitati tuae de oblato Nobis decretorum Synodalium libro, valdeque confidimus fore ut quae sunt, te praelucente, constituta, et efficacitate et fructu compleantur. Auspicem interea divinorum munerum, Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem tibi tuisque fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Ianuarii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IOSEPHO VIZZINI, SACERDOTI

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Initum a te consilium edendae Sanctorum Patrum Bibliothecae, quemadmodum efficis, iam annus est, non sine laude ac fructu, grate quidem novimus et bene precati salutavimus. Patrum enim Ecclesiae praeclara opera qui diligenti manu ac mente versetur, ille multa profecto percipiat oportet et ad credendum necessaria et ad disputandum utilia et ad perlegendum iucunda. Ii namque Patres sunt qui vera atque incorrupta catholicae doctrinae capita, perinde quasi in purissimo fonte, custodiant serventque, nec, si certis in rebus amplectendi omnino sunt, minus habent in dubiis emolumenti; id quod nativo quodam, ut plurimum, ac plane suo dicendi genere commendatur, doctisque propterea viris delectationi summae est. Eum igitur probe de religione ac litteris merentem existimamus qui ad illustranda Sanctorum Patrum scripta

ingenii vires appellat, nobilique sane proposito ad eruditendas excolendasque adolescentium mentes incumbat. Hac decet laude alacritatem tuam industriamque per Nos honestari, idque et praemii loco et incitamenti futurum spes est. Auspicem divinorum munerum, Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam tibi benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Ianuarii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
FRIDERICO EPISCOPO TITVLARI FAMAGOSTANO
ET ECCLESIAE CATHEDRALIS MEDIOLANENSIS ARCHIPRESBYTERO
MEDIOLANVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Illata apud vos Pontifici maximo iniuria per impium eorum conventum qui integrum sibi vindicant a veritate aberrare, fuit eadem haud levis virtuti Mediolanensium iniuria. Grate igitur ac libenter a te atque a Curionibus istius urbis epistolam excepimus, qua non modo parta Nobis tristitia levabatur, verum etiam vetus ac nobilis firmabatur opinio vestrae cum Apostolica Sede coniunctionis. Officio propterea eiusmodi, quippe obiectum opportune est flagitio recenti, magnopere delectamur; illudque etiam maiore iucunditate accipimus quod de fidelibus Mediolanensibus, Petri Sedem pia peregrinatione adituris, iam nunc nunciatis. Dum autem confidimus renovandam proxime Vicario Christi reverentiam et exemplo et utilitati

omnibus Ambrosii filiis futuram, Apostolicam benedictionem tibi, ceterisque Curionibus ac fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Februarii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
ARCHISODALITAS A CORDE EVCHARISTICO IESV
AD SANCTI IOACHIMI DE VRBE ERIGITVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Admotae Nobis preces nomine dilecti filii Aloisii Palliola e Congregatione Ssm̃i Redemptoris sacerdotis et Rectoris Ecclesiae sancti Ioachimi Almae huius Urbis praeseferunt, sibi et universae Patrum a Redemptione religiosae familiae in votis admodum esse, ut per Nos eodem in templo pia, titulo Eucharistici Cordis Iesu, Archisodalitas, auctoritate Apostolica instituatur. Nos autem quibus nihil antiquius ac suavius quam ut fidelium Sodalitas, quae non dissimili prorsus cultu atque illi quem Sacro Cordi profitetur, tantum peculiaribus venerationis, amoris et grati ac reverentis animi studiis, illum recolit supremae dilectionis actum quo Redemptor Noster omnes Cordis sui divitias effundens, ut nobiscum ad exitum usque saeculorum moram ageret, adorabile instituit Eucharistiae Sacramentum, in hac Alma Urbe, catholici orbis centro,

sedem nanciscatur condignam, optatis hisce piis annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Archisodalitatem Eucharistici Cordis Iesu, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, in Pontificio templo sancti Ioachimi de Urbe canonice erigimus, eamque consuetis privilegiis quae competunt Archisodalitiis perpetuum in modum ditantes, auctoritate similiter Nostra, hoc anno quo Nos quintum ac vicesimum ab inito Pontificatu annum implemus, illa in sacra aede instituimus, quam structura praenobilem, et mirificis artis operibus insignem, in memoriam Iubilaei Nostri sacerdotalis, universi Orbis fidelium pietas condidit, Nosque commisimus supra memoratae Congregationi patrum a Redemptione tot tantisque nominibus optime de re sacra meritae. Praeterea eidem Archisodalitati sic Romae per Nos institutae omnes et singulas Indulgentias tam plenarias quam partiales conferimus, ceterasque spirituales gratias, quibus aliae eiusdem tituli Societates, canonice ad hanc usque diem erectae, ex amplissimis atque iteratis Sanctae huius Sedis Apostolicae concessionibus atque indultis fruuntur.

Verum ad perennandam solemnis in hac Alma Urbe Nostra Archisodalitatis istius fundationis memoriam, largimur insuper ut tam ipso primae in Urbe erectionis die,

quam perpetuo in posterum anniversario, Archisodalitatis eiusdem nunc et item in posterum pariter existentes socii, qui admissorum confessione rite expiati atque Angelorum pane refecti vel propriam Archisodalitatis Ecclesiam, vel cuiusque curialem, a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, in Domino consequantur. Tandem Archisodalitatis huius sic per Nos in Urbe erectae praesidibus et officialibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti societates ubique terrarum existentes, servatis forma Constitutionis Clementis Papae VIII Praedecessoris Nostri rec. mem. aliisque Apostolicis Constitutionibus desuper editis, sibi aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Archisodalitati a Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles, communicare licite valeant, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine item perpetuo concedimus atque indulgemus. Decernentes has litteras firmas ac efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios

et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVI Februarii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

A. CARD. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SACRA HIERARCHIA
ET DISCIPLINA ECCLESIASTICA
IN INSVLA CVBANA

—

LEO PP. XIII

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Actum praeclare a divina Providentia cum Cubana insula est, quae regio praedives maximeque frugifera, quemadmodum immortali viro Christophoro Columbo patuit e primis, ita maturius lumini christianae veritatis accessit. Quo Dei beneficio celerrime per eas gentes diffuso, Leo X, Decessor Noster, minime dubitavit parochialem ecclesiam sancti Iacobi de Cuba in cathedrae episcopalis honorem provehere. Aucto fidelium numero, eadem provinciae caput, seu metropolitana, declarata est a Pio VII Pontifice Maximo, die XXIV mensis Septembris anno MDCCCIII, subiecta illi sede Avanensi, quam eiusdem nominis Decessor Pius VI instituerat. Haec vero Pontificum romanorum haud intermissa sollicitudo, ab iisdemque permissum Hispaniae regibus munus tuendi tam felices insulas, rei catholicae apud

Cubanos proximosque incolas talia in dies incrementa attulerunt, qualia vix a confirmatis diuturna humanitate ac religione gentibus expectari possent.

Nuperrime conversus bello reipublicae status in vices quoque religionis influxit. His de causis, et sublato hispaniensium regum dominio in Cubanam insulam, plane intelleximus nostri muneris esse, pro ratione temporis earum regionum bono consulere. Itaque Venerabilem Fratrem Placidum Ludovicum Chapelle, Archiepiscopum Novae Aureliae, illuc misimus cum munere Delegati Nostri Apostolici extraordinarii, qui, rebus diligenter inspectis, quae maxime opus essent, de iis ad Nos accurate referret. Omnibus inde mature perpensis, maximeque animadverso Cubanam insulam inter ceterasque Americae latinae gentes affinitates esse quasdam mutuasque similitudines, idcirco edito pridie nonas Septembris anni MDCCCCI decreto providimus, ut Cubana insula iisdem legibus contineretur, quae a plenario Concilio Americae latinae latae fuerant, Romae habito anno MDCCCXCIX.

Neque tamen per haec novis necessitatibus occurrisse satis habentes, Apostolicam sollicitudinem ad consilia convertimus rei catholicae in ea regione ordinandae loco aptius ac tempori. Quamobrem, auditis sententiis nonnullorum S. R. E. Cardinalium sacrae Congregationis extraordinariis negotiis praepositae, quae religioni tuendae provehendae in insula Cubana expedire in Domino visa sunt, per hanc Constitutionem supremo Nostro iudicio pronunciamus.

Ac primum compertum habentes Cubae et Avanae fines tam late protendi, auctisque commerciis sic in dies catholicorum numero affluere, ut utrique Episcopo eorum lustratio sit perdifficilis, multiplicandi per eos tractus antistites consilium cepimus. Itaque decernimus, ut Cubanae et Avanensi dioecesibus addantur, *ex ipsis distrahendae*, sedes Pinar de Rio et Cienfuegos. Harum priori, ad quam tota pertinebit eius nominis regio, fines constituimus ad septentrionem, mexicanum fretum; ad ortum, Avanam provinciam; ad meridiem, aequor Antillarum; ad solem occidentem, Jucatan fretum. Dioeceseos autem Cienfuegos, iis definitae limitibus quibus provincia civilis sanctae Clarae continetur, hi sunto fines: ad septentrionem, fretum Bakamae vetus; ad ortum, provincia Portus Principis; ad meridiem, aequor Antillarum; ad occasum, provincia Matanzas.

Princeps Cubanae insulae sedes eadem esto quae antea, id est sancti Iacobi, cui sedi erunt obnoxiae, seu suffraganeae, praeter iam institutam, quam diximus, sancti Cristophori de Avana, etiam novissimae duae, altera Cienfuegos, altera Pinar de Rio. Portoricensem enim dioecesim a vinculo subiectionis metropolitanae ecclesiae sancti Iacobi de Cuba solutam, atque interim Apostolicae Sedi immediate subiectam declaramus. Suis autem iuribus, privilegiis, officiis metropolitanus antistes fruetur, tum quae communi sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum vi obtinet, tum quae a plenario Americae latinae Concilio descripta sunt. Quibus in exercendis in iisque

omnibus quae pastoralis ministerii sunt, pro suo quisque munere, quum metropolitanus antistes tum ceteri episcopi illud maxime curent, ut mutua inter ipsos caritas vigeat, mens omnibus una sit, una in commune bonum conspiratio animorum atque voluntas.

Ecclesiae sancti Iacobi de Cuba itemque sancti Christophori de Avana sua Canonicorum collegia, seu Capitula, servari iubemus, quum propter sacri cultus dignitatem, tum adiuvandi Episcopi causa ex praescripto sacrorum Canonum. Quod si res angustae non sinant eumdem in eo coetu haberi numerum qui antea, sic erunt partiendi reditus, ut in utroque collegio, post constitutos in dignitate, suppetat unde solvatur pro Canonicis decem.

Suis item Capitulis, ubi primum licuerit, ornari denuo constitutas dioeceses Pinar de Rio et Cienfuegos, atque utrumque consilium saltem canonicis decem constare volumus. Interim vero, Collegiis huiusmodi nondum canonice institutis, Episcopi sibi deligent ex utroque clero consiliarios viros, qui pietate, doctrina et rerum gerendarum usu prae ceteris commendentur. Hi sacra obeunti solemniore ritu Episcopo adstabunt.

In beneficiis ecclesiasticis conferendis vel Canonicis vel aliis sacri ordinis viris, serventur leges plenarii Concilii latini Americani et authenticae earum declarationes editae a sacra Congregatione Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita; quibus legibus haud minus ac sacrorum Canonum decretis Canonici pareant in suis muneribus obeundis.

Quandoquidem vero quae prius erant emolumenta pecuniae aut omnino desierint aut fuerint admodum deminuta, optime sacri cultus decori, cleri necessitatibus aliisque catholicis rebus dioecesium fuerit consultum, si ad sacrorum Canonum normam et ad memorati plenarii Concilii Americani praescripta provideatur et Ius cathedraticum restituatur; cui quae certa pecuniae vis assignanda sit, in proximo Concilio provinciali aestimabitur.

Quae de hierarchia ordinanda, quae de iuribus, privilegiis, honoribus eorum, qui sunt prae ceteris constituti, Nostris hisce litteris decernimus, ea quidem et ad optimum christiani populi regimen et ad cultus divini amplitudinem opportuna sunt ac prope necessaria; sunt tamen externa quodammodo. Illud autem interest maxime, ut quibus et fidelis cura gregis et ipsius domus Dei vigilantia commissa est *idonei comprobentur atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari* [1]. Nec pietate solum ac virtutibus ecclesiae viros eminere necesse est, verum etiam tum sacra tum profana doctrina, conversis hoc maxime tempore ad abditissima quaeque hominum studiis. In hoc igitur Episcopis collocanda peculiaris cura est, sacerdotes ut efforment gravissimo pares muneri, quorum operâ iuvari maxime christiana plebs possit, tot insidiis circumventa, tot obnoxia periculis. — E sacerdotali autem ordine sic instituto et comparato aequum

[1] Conc. Trid. *De Ref.*, Sess. 23, C. 14.

est ad maiora negotia eos vocari. *qui, in clericali ordine versati, doctrina ad suum munus exequendum necessaria ac morum integritate commendentur* [1]; ad regimen vero animarum, quos aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, magis idoneos Episcopi iudicaverint [2]. — Ceterum sacri ordinis viri, in quovis versentur officio, studiis partium civilium omnino abstineant, iuxta illud Apostoli: *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* [3]; idque praesertim ne religio sancta, quae cunctis rebus humanis supereminere debet et omnium civium animos mutuae caritatis et benevolentiae vinculo coniungere, officio suo deesse videatur, eiusque salutare ministerium suspectum habeatur. — Etiam amotis huiusmodi concertationibus, patet sane campus catholicae rei iuvandae, potissimum exemplo mutuae concordiae, qua, invidia omni et aemulatione depulsa, sacerdotes omnis ordinis *caritate fraternitatis invicem diligentes*, possint in unum Christi corpus coalescere, prout habet Apostolus: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* [4]. — Cui retinendae concordiae non minus ac pietati fovendae, a qua interdum externis tot rebus evagatus animus potest abduci, quum usui maximo sint piae illae exercitationes, quibus rerum divinarum contemplationi vacare licet im-

[1] Conc. Trid. *De Ref.*, Sess. 24, C. 12.

[2] Conc. Trid. ib. C. 18.

[3] II Tim. II, 4.

[4] Rom. XII, 5.

pensius, curent antistites ut, statis anni diebus, Ecclesiae viri congregentur ad sanctissimae Religionis documenta et vitae sacerdotalis officia secum reputanda. Ea commentatione, cui consilia succedent vitae sanctius degendae, atque usu sacramentorum frequenti roborentur, confirmentur. Denique ut sacrae vigeat disciplinae cultus, habeantur coetus, in quibus quaestiones de moribus de sacrisque ceremoniis agitentur.

Magnum profecto negotium institutio sacri ordinis alumnorum, cuius rei spes ferme omnis est in Seminariis reposita. In eiusmodi ergo domicilia excitanda incumbant Episcopi, de iisque gerant sollicitam curam, caventes potissimum ne alii admittantur nisi *quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros* [1]. Qua super re plura sunt a memorato Concilio plenario Americae latinae declarata sapienter et opportune sancita. Ad spiritualem autem utilitatem totius Cubanae insulae, enixe commendamus Seminarium Pio-Latino-Americanum, in quo multi et praeclari evangelici praecones et animarum rectores, in Urbe totius christiani orbis principe et sub ipsis Romanorum Pontificum oculis, educati fuerunt, plurimique futuri illorum imitatores educantur. Quare volumus, quemadmodum a ceteris Americae dioecesibus, ita etiam ab unaquaque Cubanae insulae saltem binos adolescentes alendos in eo Collegio, non intermissa vice, collocari.

[1] Conc. Trid. Sess. 23, C. 18, *De Ref.*

Sedulam quoque sibi vindicant curam scholae adolescentium e populo, praesertim quo tempore imperitorum animi per tot inductos errores, per tot obiecta incitamenta vitiorum facile corrumpuntur. Agitur enim de hominum societate futura tali, qualis ab initio processerit, eoque maturius eripienda periculo, quo citius ac poene ab incunabulis impiorum fraudibus circumvenitur. Ex quo nemo est quin intelligat, quanti momenti sit ludos aperire quamplures, iisdem advigilare, in fidem, in mores docentium inspicere. E re autem erit scholas illas maiores, quibus magistri formantur, utrique sexui constituere.

Religiosas Familias, quae in Cubana versantur insula, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate meritas, vix est ut moneamus, ne a pristina laude desciscant; quibus Deo sese votis obstrinxerunt, in iis constent; claustri legem ne frangant; audientes dicto sint praepositis; cum reliquo clero coniunctis viribus conspirent *in aedificationem corporis Christi* [1]. Quae vero ad ipsos fere pertinent ministeria, vulgo *missiones*, latissimus per haec patet campus fidei adservandae, tuendae, morumque christianae plebis continendorum. Verum, quo uberior inde fructus percipiatur, necesse est in frequentioribus locis religiosas constitui domos, saltem virorum octo, quorum sit munus, quum in urbibus tum in vicis, habere conciones ad populum, ipsumque docere.

[1] Ephes. IV, 12.

Ut actio concors Episcoporum in Cubana insula valeat iis, quae communiter opus sint, occurrere satis atque prospicere, maximae erunt utilitatis episcopales coetus, seu Consilia, in quibus de dioecesium necessitatibus deliberetur. Huc spectant quae per S. R. E. Cardinalem a publicis negotiis declaranda curavimus datis litteris calendis Maii anno MDCCCC.

Quae praesentibus litteris constituimus, quae monuimus, procul dubio e sententia procedent suosque parient fructus, si sacri ordinis viri summo studio curaverint suo ministerio sese dignos exhibere, confirmantes exemplo doctrinam, vere *facti forma gregis ex animo* [1]. Oportet igitur iidem sic vitam moresque conforment, ut habitu, incessu omnique re nihil ipsi redoleant, nisi *bonum odorem Christi.* Itaque, ad ecclesiasticam disciplinam roborandam, praecipimus, ubi primum nova dioecesium circumscriptio fuerit promulgata, institutaeque sint novae sedes suisque Pastoribus assignatae, ut Venerabilis Frater Noster Placidus Ludovicus Chapelle, Archiepiscopus Novae Aureliae, Delegatus Apostolicus Cubanae insulae, cui exequutionem committimus praesentium litterarum, convocet Provinciale Concilium, eique praesideat, cuius Acta ad hanc Apostolicam Sedem iuxta canonicas praescriptiones mittat.

Quod reliquum est, optima spes tenet, eum quem vehementer cupimus exitum res habituras, et quae Nostris

[1] I Petr. v, 3.

hisce decreta sunt litteris salutares fructus datura brevi. Hac expectatione erecti, ad Cubanum populum extrema verba convertimus, eum enixe adhortantes ut in fide maiorum perstent invicti, servent unitatem in vinculo pacis, pro suae conditionis ratione, idest filiorum dicto audientium patribus, operâ sua sacris Pastoribus praesto sint, Evangelii praeceptis obtemperent, reipublicae praepositos debito honore prosequantur, *impleant gaudium Nostrum, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes* [1].

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis continentur, nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, suosque effectus in omnibus obtinere atque ab omnibus cuiusvis gradus et dignitatis inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus; non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, nec non veterum Sedium Cubanae Insulae et Missionum inibi constitutarum et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus ac privilegiis, iuramento etiam, confirmatione Apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis; quibus omnibus quatenus supra dictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctori-

[1] Philip. II, 2.

tate vel praetextu, scienter vel ignoranter, contigerit attentari declaramus.

Volumus etiam ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo tertio, die xx Februarii, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

A. Card. MACCHI

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
ANTONINO PAGÈS PRAESIDI CETERISQVE VIRIS
E SVPREMO CONSILIO PIAE SOCIETATIS
SANCTI VINCENTII A PAVLO
LVTETIAM PARISIORVM

—

LEO PP. XIII

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nostis vos quidem, pluries enim ex occasione significavimus, magnopere Nobis istud consociationis genus probari. Ita existimare facile potestis, quam Nos libenter ex proximis vestris litteris relatisque superioris anni rationibus nova societati vestrae allata incrementa didicerimus. Praesertim placuit, quod nunciastis, eamdem apud vestrates, etsi aliqua parte temporum iniquitatem senserit, ceterum tamen, coalescentibus sensim bonorum studiis, felicius etiam provehi: nominatim vero in dioecesi Parisiensi eiusmodi vos opus, praeeunte dilecto filio Nostro Archiepiscopo, inivisse, quo nihil opportunius videatur. Itaque gratulamur vobis ex animo curarum cogitationumque vestrarum in

consociatione moderanda perceptos, Deo adiuvante, fructus, eosque communis boni causa sane commendabiles. Hos autem sperandum est uberiores etiam fore in posterum: id quod de sollertia industriaque vestra videmur polliceri Nobis posse, modo vobis, uti optamus, ope sua atque opera suffragari plures animum induxerint. Auspicem caelestium munerum, itemque benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Februarii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

A SUA MAESTÀ LEOPOLDO II
RE DEI BELGI

Maestà,

Fra le più care memorie che Ci allietano l'animo nel riandare i venticinque anni di Pontificato, testè da Noi felicemente compiuti, non è ultima quella di aver dedicato l'intiero uman genere al Cuore augusto del divino Redentore. Dolci e sicure speranze di pace e di prosperità Noi raccogliamo dal vedere gl'individui ed i popoli rivolgersi fiduciosi, dietro il Nostro invito, a quel Cuore sacrosanto. — Da ciò la Maestà Vostra potrà arguire di quanto e qual piacere Ci sia stato il conoscere il suo divisamento di vedere inalzato in cotesta sua Capitale un Santuario, che, emulando nello splendore dell'edificio quello di Montmartre in Parigi, sia al par di quello un solenne e perpetuo omaggio di tutta la Nazione Belga al Cuore di Gesù Cristo. — Non dubitiamo che alla pia volontà del Sovrano risponderà alacre e generosa quella dei sudditi, talchè il nuovo Santuario possa in breve torreggiare sulla magnifica spianata di Kockelberg. E Noi,

che da antico e sincero affetto Ci sentiamo legati al Belgio, godiamo che nel nuovo Tempio gli sia dato quasi un nuovo baluardo, arra di tranquillità e di benessere. — Congratulandoci colla Maestà Vostra, che coll'egregio divisamento ha dimostrato una volta ancora il vivo amore che nutre per la nazione, a cui la Provvidenza l' ha preposta; le impartiamo dall'intimo del cuore l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano, li 13 Marzo 1903.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

SANCTVARIVM GENESTANVM

A BEATISSIMA VIRGINE BONI CONSILII MATRE NVNCVPATVM

AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITVR

VENERABILI FRATRI NOSTRO

VINCENTIO S. R. E. CARDINALI VANNVTELLI

EPISCOPO PRAENESTINO

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Sacris aedibus Deo in honorem Deiparae Virginis dicatis, quae Sanctuaria appellantur, quibus amantissimum Divinae Providentiae consilium Italiae regiones ditatas esse voluit, merito accensenda est quae Genestani in Latio intra fines Praenestinae dioecesis ab ipsa Dei Genitrice Maria Boni Consilii Matre nuncupatur. Quartodecimo enim saeculo templum illud erectum et insequentibus temporibus ampliori forma novisque operibus instauratum, Coenobitis, qui sancto Augustino Patri legifero obsequuntur, creditum fuit; adaucto in dies cultu et pietate erga Virginem

Matrem, cuius Imago speciosa eodem nomine Boni Consilii, mirum in modum, ut perhibent, illuc a Scodra adiecta, ibi religiosissime ac munifice colitur, non modo ab oppidanis et finitimis populis, verum etiam, piae peregrinationis causa, ex dissitis regionibus turmatim illuc confluentibus cuiusque ordinis et nationis Christifidelibus, caelestem Matris opem imploraturis, vel ob accepta beneficia gratias acturis. Sacra porro haec aedes, molis pulchritudine praeclarisque artis operibus excellens, praedivite supellectile referta, a Decessoribus Nostris, nominatim a fel. rec. Pio IX et a Nobis ipsis singularibus beneficiis locupletata est. Nos profecto Matris Boni Consilii cultores novo officio festum Apparitionis eiusdem Deiparae Imaginis ab Ordine Eremitarum sancti Augustini plurimisque Ecclesiis recolendum voluimus, atque anno superiore, sacerdotum advenarum commoditati affluentibus peregrinis sacra administrantium, Coenobii, quod templo continens est, diaetas impensa Nostra ampliandas curavimus. Haec omnia secum reputans dilectus filius Thomas Rodriguez Coenobiticae Familiae sancti Augustini Moderator Generalis, humiles ad Nos preces admovit, ut Mariale templum Genestanum ad Basilicae Minoris dignitatem evehere velimus. Supplicibus hisce precibus suas quoque adiecit Venerabilis Frater Noster Vincentius S. R. E. Cardinalis Vannutelli Episcopus Praenestinus, qui pro suo erga Virginem Boni Consilii Matrem a primaeva aetate devotionis studio, quippe qui Genestani suum ortum duxerit, pro memorata sacra Aede, quae una ex quatuor est illius oppidi Parochialibus

Ecclesiis. Minoris Basilicae titulum honoremque a Nobis expetivit. Quare Nos, rogata etiam sententia Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationis Praefecti, Apostolica auctoritate Nostra, vi praesentium, templum Genestanum, quod una ex quatuor aedibus est Parochialibus illius oppidi, sacrum Beatae Mariae Virgini titulo Matris Boni Consilii, nomine et dignitate Basilicae Minoris cohonestamus, et inter eas eadem auctoritate numeramus, cum omnibus privilegiis et honoribus, qui minoribus Almae Urbis Basilicis sunt attributi, vel de iure et consuetudine competunt, nulla tamen facta immutatione hierarchici gradus et iuris trium aliarum Parochialium Ecclesiarum. Decernentes praesentes litteras firmas validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVII Martii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

A. CARD. MACCHI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

PETRO

ARCHIEPISCOPO TARENTINO

TARENTVM

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod Episcopi regionis istius proxime sint conventuri ut, sacro secessu prius habito, commissarum dioecesium utilitatibus communi sententia prospiciant, libentissime Nobis accidit. Etenim, si quae discutienda in eiusmodi conventibus proponuntur actionem maxime spectent, pertractatio vero concordi quidem animo at libero fiat, mirum est quantam inde alacritatem concipiant voluntates ad ea, quae decreta sint, opere implenda. Postquam autem, datis ad Italiae Episcopos litteris, Nos de ratione cleri rite educandi ediximus, ampla vobis materia suppetit, in qua studium vestrum vestramque probetis prudentiam, apte videlicet ordinando quidquid in vestris Seminariis documentis Nostris minus respondere cognoscitur. Huc igitur tuam,

Venerabilis Frater, qui conventui praeeris, ceterorumque Antistitum adhiberi diligentiam desideramus. Ut vero industriis vestris benigne Deus obsecundet, Apostolicam benedictionem, Nostrae testem benevolentiae et gratiarum caelestium auspicem, tibi et collegis tuis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Aprilis MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
CYRIACO MARIAE TIT. SANCTI PETRI IN MONTE AVREO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SANCHA Y HERVÁS
ARCHIEPISCOPO TOLETANO
TOLETVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quos nuper coetus Episcopi aliquot Hispaniarum, te praeside, Matriti celebrarunt ut opportunissima ad movendam apud vos catholicorum actionem praesidia animadverterent, de iis Nos certiores effecit dilectus Filius Noster a publicis negotiis. Has Nos congressiones libentiore quadam voluntate cognovimus, quippe professi saepenumero publiceque sumus nihil Nobis magis esse curae quam ut catholici in Hispania viri arctissima inter se concordia cohaereant. Illud enimvero laudati coetus perspicue demonstrant, hispanos Praesules non modo de concordiae necessitate Nobiscum consentire, verum etiam ad voluntatum coniunctionem in fidelibus instaurandam omni studio con-

tendere. Quod sane complures Episcopi ad consilia conferenda convenerint, id esse fructus expers in christiana plebe non potest, eo praesertim ex capite quod suas cuique opiniones variasque de rebus minime necessariis sententias omnino abiiciendas esse suadeat, si prospicere Religionis rationibus, quae multum in praesens periclitantur, cum efficacitate velimus. Quamobrem vehementer optamus ut Hispaniae Episcopi constanti stabilique animo insistant denunciare palam ac publice servandam catholicis universis concordiam. Sequetur enim sine dubitatione ut pastoralia vestra praescripta maiori populum virtute percellant, atque ea, quae animo spectatis, leviore negotio adipiscamini. — Supra dictis autem in conventibus prolatum a quibusdam consilium comperimus peculiares coetus in quaque dioecesi condendi, qui consociationi Matriti constitutae, tamquam capiti, congruant. Iam eiusmodi sententiam sapienter opportuneque conceptam laude persequi placet: valere namque posse censemus ad creandum constabiliendumque catholicorum omnium in Hispania consensum. Quare plane confidimus universos istius gentis Episcopos eidem consilio et opinione et re fore adstipulaturos. Huius tamen exequendi negotii, praescriptorumque decernendorum, quibus regendae consociationes erunt, praecipuas partes deberi tibi volumus, qui summum dignitatis locum in Hispaniae Episcopis obtines. Valde quidem Nobis et agendi studio, et rerum usu, et fideli coniunctione commendaris; quo fit ut nullum ad haec incitamentum desideres. Modestiam vero tuam attollendam

impellendamque arbitramur, idque libenter praestamus, enixe cohortantes ut magno erectoque animo operi tam claro praesis, hoc nihil dubitans eos tibi omnes adiumentum laturos qui dignitatis existunt socii. Quod si humanae conscius infirmitatis divinam requirendam opem ad laudatum facinus putas, Nos etiam adspirantem propitie Deum tibi deprecamur, auspicemque caelestium gratiarum Apostolicam benedictionem tibi ceterisque Hispaniarum Episcopis ac fidelibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Aprilis MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

DECRETVM

QVO LITANIIS LAVRETANIS
PRAECONIVM « MATER BONI CONSILII »
ADIICITVR

—

VRBIS ET ORBIS

Ex quo Beatissima Virgo Maria, Spiritus Sancti gratia plena Eiusque luminis splendore illustrata, aeternum Dei consilium atque incarnati Verbi mysterium omni mentis et cordis obsequio atque affectu suscepit, Dei genitrix effecta, etiam Mater boni consilii meruit appellari. Insuper divinae sapientiae eloquiis instructa, ea vitae verba, quae a Filio suo acceperat et in corde servaverat, in proximos liberaliter effundebat. Neque solum in nuptiis Canae Galileae huius novae Rebeccae consiliis acquievere ministri; sed et pias mulieres aliosque Domini discipulos atque ipsos sanctos Apostolos eam audisse consiliatricem credere fas est. Quam praerogativam Deiparae Virgini agnitam et confirmatam fuisse deprehendimus, cum Iesus prope moriturus videns iuxta crucem matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dixit matri suae: *Mulier, ecce filius tuus.* Deinde dixit discipulo: *Ecce mater tua.* Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Ioannem

autem omnes Christifideles tunc repraesentasse ab Ecclesiae Patribus traditum est. Item, approbante Apostolica Sede, ab antiquis temporibus tum a clero tum a populo christiano, opem simul implorante, ipsa Beatissima Virgo glorioso titulo *Mater boni consilii* consalutata est. Sanctissimus vero Dominus Noster Leo Papa XIII ob suam et fidelium singularem pietatem erga Matrem boni consilii sacramque eius Imaginem quae in sanctuario Genestani praecipue colitur, postquam per decreta sacrorum Rituum Congregationis anno MDCCCLXXXIV novum Officium cum Missa pro die Festo approbaverit, et anno MDCCCXCIII etiam scapulare proprium cum Indulgentiis concesserit; hoc vertente anno MDCCCCIII ipsum sanctuarium, antea novis aedibus hospitalibus suo aere ampliatum, ad Basilicae minoris gradum et dignitatem cum omnibus iuribus et privilegiis, per Apostolicas litteras in forma *Brevis,* evexit. Tandem idem Sanctissimus Dominus Noster, quo ipsimet Beatae Mariae Virgini enunciatus titulus maiori honore et cultu augeatur, ex sacrorum Rituum Congregationis consulto, infrascripto Cardinali Praefecto et Relatore, statuit et decrevit ut Litaniis Lauretanis post praeconium: *Mater admirabilis,* adiiciatur alterum: *Mater boni consilii, ora pro nobis;* hac quoque cogitatione et firma spe permotus, ut, in tot tantisque calamitatibus et tenebris, pia Mater quae a sanctis Patribus *caelestium gratiarum thesauraria et conciliatrix universalis* vocatur, per totum catholicum orbem sub eo titulo rogata, omnibus monstret se esse matrem boni consilii, et illam Spiritus Sancti gratiam, quae sensus

et corda illuminat, seu sanctum consilii donum sit impetratura.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die XXII Aprilis MDCCCCIII.

S. CARD. CRETONI, S. R. C. PRAEFECTVS.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen.*, S. R. C. Secretarius.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

PIO PVCCI

CANONICO REGVLARI LATERANENSI

NEAPOLIM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod te adiutoresque consilii tui nonnullos id nunc studere atque operam dare intelleximus, ut excitetur atque incrementa capiat apud vos popularis in Virginem Deiparam pietas, Nobis quidem gratum est, ut debet: auctoresque vobis sumus, propositum persequi diligenter. Nequaquam carebit fructu, opinamur, institutus ad hanc rem Commentarius qui inscribitur *Il Santuario di Piedigrotta,* singulis mensibus Neapoli proditurus in lucem. Alioqui ubinam locari dignius queat scribendi labor, quam in praedicando Virginis augustae illustrandoque nomine? Eritis autem consequuti plurimum, si Mariale templum ad ipsam Cryptam Puteolanam, avita religione eximium, operibus novis ornatuque addito excolere licuerit; maxime

si suppeditarit etiam, unde conferatur aliquid in solatium egenorum. Cupimus igitur petimusque ut res, favente Deo, cedat vobis e sententia. Tibi interim eisque singulis, qui operam tuam quoquo modo iuverint, divinorum munerum auspicem, benevolentiaeque Nostrae testem, Apostolicam benedictionem amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Aprilis MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
MICHAËLI RVA
MODERATORI GENERALI SODALITATIS SALESIANAE
AVGVSTAM TAVRINORVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cogendum proxime significabas Salesianorum ex omni terrarum orbe conventum, eumque, Deiparae Adiutricis ope suffultum, solemniis iri conclusum declarabas eiusdem Magnae Dei Matris insigni corona induendae. Laetabile Nobis hoc facinus accidit, quippe et dilecti filii Nostri Ecclesiae Cardinales, et dioecesum Pastores, et viri e sacro Clero ac fideles, quorum pietas ac virtus ad conferenda vobiscum consilia est advocata, non unam praebent sperandorum causam bonorum. Nostram autem expectationem summopere alit Opiferae Virginis praesidium, quam Sodalitio maxime Salesiano adspirantem propitie novimus; planeque idcirco confidimus magno cum Religionis commodo atque quidem cum institutae a vobis iuventutis

emolumento id omne fore extiturum quod Maria Mater et Virgo tueatur ac muniat. Auspicem interea caelestium gratiarum Apostolicam benedictionem tibi ac ceteris, qui in coetum una tecum convenient, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Maii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

DECRETVM

QVO DECANO CAPITVLI PREMISLIENSIS LATINORVM VSVS PONTIFICALIVM CONCEDITVR

—

Iosephus Sebastianus Pelezar Premisliensis Latinorum Episcopus ad Ssm̃um Dominum Leonem Papam XIII submisse retulit, Premisliensem dioecesim sua antiquitate, territorii amplitudine, Religiosis Institutis, quibus gaudet, illustre inter alias omnes nomen obtinere, ac tantam fidelium multitudinem complecti, ut in ea decies centena et octoginta quinque millia ac nonaginta et unus fideles numerentur, quo fit ut numero animarum omnes alias dioeceses in provincia Galiciana antecellat. Retulit insuper, Premisliense Canonicorum Capitulum Apostolicae Sedi addictissimum viris pietate et doctrina illustribus ita floruisse et florere, ut ex iis quadraginta numero ad Episcopalem dignitatem evecti fuerint, ac plurimos alios viros probitate et eruditione claros semper habuisse, qui optime de Ecclesia suis laboribus et sacerdotali ministerio meriti sunt. Exposuit demum, Apostolicam Sedem saepe ipsum Capitulum favore suo dignum existimasse; ita ut Summi Pontifices Innocentius XII, Benedictus XIV, Gregorius XVI peculiaria eidem indulta et privilegia exactis temporibus tribuenda censuerint.

Hisce omnibus expositis, Premisliensis Episcopus, atque animo suo praesertim reputans, quod pro fidelibus, qui in orientalibus regionibus degant, saepe praesentia Delegati Episcopalis necessaria est, Sanctitati Suae enixe supplicavit, ut cum Praepositus, prima Capituli dignitas, ex Apostolica concessione privilegio infulae et usu Pontificalium fruatur, etiam Capituli Premisliensis Decani pro tempore in perpetuum existentes usu pontificalium gaudere possint et valeant. Sanctitas Sua, allatis causis animum suum moventibus, ac omnibus mature perpensis, Episcopi Premisliensis precibus benigne annuendum censuit, atque auctoritate Apostolica Premisliensis Capituli Decanis pro tempore in perpetuum existentibus de speciali dono gratiae benigne concessit, ut intra fines dioecesis Premisliensis usu pontificalium gaudere, ac in pontificalibus licite et libere celebrare possint ac valeant, prout Praeposito Capituli indultum fuit, servatis de iure servandis, et in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

In hanc rem iussit Sanctitas Sua hoc expediri Consistoriale Decretum perinde valiturum, ac si litterae Apostolicae in forma Brevis editae fuissent, atque eius exequutionem Episcopo Premisliensi cum facultatibus necessariis et opportunis benigne commisit, et Decretum ipsum inter Acta sacrae Congregationis Consistorialis referri mandavit.

Datum Romae, hac die XIII Maii anno MDCCCCIII.

† Carolvs Patriarcha Constantinopolitanvs
S. C. Cons. *Secretarius.*

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

HERMANNO DINGELSTAD EPISCOPO MONASTERIENSI

MONASTERIVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Festus ille dies, quo vicesimi quinti anni a Nostro pontificatu suscepto feliciter memoria celebrata est, plane cumulateque confirmavit quam miro pietatis ardore, quantaque voluntatum concordia Monasterienses cives Sedem Apostolicam prosequantur. Multiplex enim officiorum genus fuit quod Nobis, hac data occasione, deferre voluerunt. Porro domi tam sollemni rituum apparatu iisque communis laetitiae signis diem illum auspicatissimum peregerunt ut de incolumitate Nostra tamquam de publico bono gratiarum actiones decretae esse viderentur. Romam vero eorumdem civium vis ingens pia peregrinatione confluxit, qui amorem Patri, obsequium Principi, reverentiam Christi Vicario coram significarent. His aliud pietatis tributum Petriana pecunia accessit, quam ad Nostras leniendas

angustias filii religiosissimi obtulerunt. Quae omnia eiusmodi profecto sunt, quibus magnopere delectemur ac tam lubenti animo complectamur, quam obsequenti pronoque fuerunt delata. Sed placet etiam Nos tibi gratos et memores profiteri, qui talium Nobis habendorum honorum pars magna et auctor praecipuus in ista dioecesi tua fuisti. Interea effusae Nostrae benevolentiae pignus et caelestium munerum auspicem, quo tum privatae tum publicae Monasteriensium res crescant, Apostolicam benedictionem et tibi et omnibus civibus amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Maii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PETRO TIT. SANCTORVM QVATVOR CORONATORVM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RESPIGHI
VICE SACRA ANTISTITI VRBANO
AC PRAEPOSITO SOLEMNIIS IVBILAEI PONTIFICALIS PERAGENDIS

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod Iubilaei Pontificalis sollemnia, Deo propitie adspirante, praeclarum consecuta sunt exitum, industriam etiam egrègii coetus agnoscimus, qui ad celebritates rari maxime eventus agendas coaluit. Observantiam coniunctionemque id Nobis confirmat, quam in Petri Cathedram atque in Personam Nostram fovetis, libetque idcirco profiteri et vestra omnium sollertia et studiis communibus iucunde Nos esse affectos. Porro merita vos laude prosecuti, gratam cuique vestrum voluntatem testamur. Opera vero templi Lateranensis, quoniam in id potissimum Iubilaei Nostri monumentum intendistis, nolumus alacritate vestra destitui, cupimusque propterea atque optamus ut coeptis

insistere, pro suscepto vobis instituto, perseveretis. Auspicem interea caelestium gratiarum, Nostraeque testem benevolentiae, Apostolicam benedictionem tibi ac singulis e coetu peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Maii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO

LIBERO BARONI DE SODEN-FRAUNHOFEN

MONACHIVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Inter tot significatïones obsequii, quae pontificatus Nostri quinto vicesimo exeunte anno ab omnibus civitatum ordinibus in Nos certatim editae sunt, locum minime secundum paterni animi Nostri vindicant sibi testimonia praeclara pietatis, quae Monacenses cives deferre voluerunt. Haud satis enim fuit domi insuetis effusisque christianae laetitiae signis tantam diei faustitatem celebrare, sed etiam officii sui singularem hanc partem esse duxerunt ut Romam venerabundi accederent, concordemque in Nos suarum voluntatum concentum praesentes confirmarent. Ex quo gratulandi hausimus causam quippe eo maiorem, quo insolentius hac devexatorum temporum acerbitate perditi homines bellum Romano Pontifici indixerunt, quem velut salutis perennem incorruptumque fontem Monacenses fidenter se

suspicere demonstrarunt. Meritas igitur per te, dilectissime fili, qui peregre ad Nos adeuntium auctor et ductor fuisti, ipsi habeant gratias: meritas habeant laudes, quorum animum, qui in iis est idem atque unus universis, paterna benevolentia complectimur. Interea omnium bonorum auspicem Apostolicam benedictionem esse volumus, quam tibi, Monacensibus civibus, eorumque familiis amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Maii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

AI SIGNORI CARDINALI

VINCENZO VANNUTELLI

MARIANO RAMPOLLA DEL TINDARO

DOMENICO FERRATA

GIUSEPPE CALASANZIO VIVES Y TUTO

Signori Cardinali,

Da molte parti Ci è stato manifestato il vivo desiderio dei fedeli di celebrare con istraordinarie solennità il cinquantesimo anniversario della dommatica definizione dell'Immacolata Concezione della Vergine. Quanto tale brama torni gradita al Nostro cuore è agevole immaginarlo. La pietà verso la Madre di Dio, non solo è stata fra le Nostre più soavi affezioni fin dai teneri anni, ma è per Noi uno dei più validi presidî concessi dalla Provvidenza alla Chiesa cattolica. In tutti i secoli ed in tutte le lotte e persecuzioni la Chiesa ebbe ricorso a Maria, e ne ottenne sempre conforto e difesa. E poichè i tempi che corrono sono così procellosi e pieni di minacce per la Chiesa stessa, Ci gode l'animo e si apre a speranza nel vedere i fedeli che, colta la propizia occasione del menzionato

cinquantenario, vogliono con unanime slancio di fiducia e di amore rivolgersi a Colei che è invocata aiuto dei Cristiani. Si aggiunge poi a renderci cara la bramata solennità cinquantenaria, l'esser Noi unico superstite fra quanti, sia Cardinali, sia Vescovi, facevano corona al Nostro Predecessore nell'atto della promulgazione del dommatico decreto. Essendo però Nostra intenzione che le feste cinquantenarie abbiano quell'impronta di grandezza, che si conviene a questa Nostra Roma, e sieno tali da servir di stimolo e regola alla pietà dei cattolici di tutto il mondo, abbiamo determinato di formare una *Commissione Cardinalizia*, a cui spetti ordinarle e dirigerle. A membri di siffatta Commissione nominiamo voi, Signori Cardinali. E nella certezza che, colle sapienti vostre cure, saranno interamente appagate le Nostre e le comuni brame, pegno dei celesti favori vi impartiamo l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano, 26 Maggio 1903.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO

ANDREAE TIT. SANCTAE ANASTASIAE

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FERRARI

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI

MEDIOLANVM

—

LEO PP. XIII

DILECTE FILI NOSTER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Communes litteras, quas Raudi in sollemnem congregati coetum, tu ceterique Mediolanensis provinciae praesules ad Nos dedistis, haud mediocri animi oblectatione iam pridem legimus. Luculenta enim significatio ibi continebatur tum vehementis studii, quo vestrarum ecclesiarum bono vigilantes prospicitis: tum constantis obsequii quo cum Romani Pontificis documentis plane sentitis. Quod a vobis nunciatum est, in eo vos pro viribus adlaborare ut christiana plebs, divinae sapientiae exculta praeceptis, melior in dies evadat, id sacerdotalis muneris maximam excipit partem idemque Nobis valde probatur: porro quum magis ovile luporum patet incursibus, eo maior industria

in prohibendis periculis est adhibenda pastori. Quum vero certum compertumque sit populum in pastores tamquam in exemplar intueri, eorumque mores plusquam praecepta valere; illud in primis carum commendare libet, scilicet quod vobis sancta et esse et futura profiteamini, quae superiori anno de sacrorum alumnis rite instituendis decrevimus. Quippe in tanto bello contra catholicum ministerium undique inflato, curare ut clerici in sacris ephebeis, ad omnem optimam artem compositi, in spem Ecclesiae veluti in viridario succrescant; eo spectare, ut sacerdotes a se ipsi exorsi se tales impertiant qualem Paulus voluit se praebere Titum, *in omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate* [1]; haec officia praestantissima Episcoporum sunt, quae effuso complectimur animo, quibusque magnopere delectamur. Deo igitur confisi pergite incoepta: quod simul seruistis, uberem ferat fructum, auspice Apostolica benedictione, quam paternae benevolentiae Nostrae testem tibi, dilecte fili Noster, ceteris venerabilibus fratribus, gregique christiano uniuscuiusque curis commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Iunii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

[1] Tit. II, 7.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
STEPHANO MARIAE ALFONSO
ARCHIEPISCOPO CAMERACENSI
CAMERACVM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Praeclarum publicae religionis et fidei exemplum, inter omnigenas laetitiae significationes nuper exhibitum, quum in Dunkercana urbe aureo diademate venerandum Deiparae simulacrum redimitum est, eiusmodi porro fuit quod Nos afficeret suavissime. Vidimus enim iam plures sacros Galliarum Antistites ingentemque hominum vim undique confluentes pulcherrimo pietatis certamine sic contendere ut Virgini augustissimae omnia genera officiorum deferrent. Sensimus haec eadem venerationis officia cum pietate erga Christum Iesum eiusque in terris Vicarium arctissime esse coniuncta. Qua ex re, quo inferorum vires audaciores quotidie fiunt, eo maius cepimus publicae salutis auspicium. Ad publica enim sananda vulnera nullum

praesentius remedium, quam si illius invocetur praesidium, quae, parta per Filium humani generis salute, potentissimum Christianorum auxilium appellari gaudet: ad tumidos componendos fluctus nihil praestantius quam si in hanc divinam Petri cathedram homines intueantur, unde infinita vis beneficiorum semper in Gallicum nomen influxit. Merito igitur spem vestram in Deum erigitis, qui ex malis ipsis uberem bonorum messem educit: merito in misericordem Matrem, communis patriae sospitam, suspicitis, qua opitulante catholici nominis osores, luce divina illustrati, in Ecclesiae sinum veluti in tutissimum veritatis portum sese recipiant. Interea benevolentiae Nostrae interpretem, caelestiumque munerum auspicem, Apostolicam benedictionem et tibi et ceteris venerabilibus fratribus, qui sollemni ritui celebrando Dunkerqui adfuerunt, universoque clero et populo curae vestrae concredito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Iunii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
PETRO ARCHIEPISCOPO CALARITANO
CALARIM

—

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Affecti suaviter epistola sumus, quam tu ac ceteri Calaritanae provinciae Antistites mittere communi consilio properastis e recenti vestro conventu. Quo quidem in officio non modo pietatem et observantiam agnovimus sacrorum Praesulum plane dignam, verum etiam egregios probavimus animorum sensus, studiosasque excolendi populi voluntates. Nam summam in primis coniunctionem testati, quam vos inter ac Nobiscum religiose custoditis, communia in Apostolicam Sedem obsequia re maxime atque opere demonstranda curastis, gregibus praesertim vestris ad venerationem Romanae Cathedrae atque ad popularem Religionis sanctae catechesim instituendis. Haec sane christianae fidei cultura est, in qua elaborare provide Pastores debent, si id habeant persuasum non alia

certius caussa sinceram Pontificis summi reverentiam gigni, quam percepta fideliter atque intime doctrina Christi, eiusque servatis, quotidiana vita, praeceptis. Vobis propterea singulis, qui ad tam magna commoda coniunctis viribus contenditis, meritam tribuere laudem gaudemus; simulque divinorum munerum auspicem, Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xv Iunii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA VANCVVERIENSIS
CONSTITVITVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Cum ex Apostolico munere quo fungimur, Ecclesiarum omnium cura Nobis demandata fuerit, felici illarum statui ac prospero regimini pro re ac tempore consulimus, eaque mature decernimus, quae in exploratam christiani populi utilitatem et commodum cedunt. Iam vero cum ad promovenda incrementa et decus religionis catholicae in occidentalibus plagis Dominii Canadensis, quo se iam plures undequaque coloni conferunt, opportunum consilium visum sit novam ibidem ecclesiasticam provinciam constituere, Nos collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infra scripta sunt decernenda existimavimus. Nimirum motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi perpetuumque in modum dioeceses Vancuveriensem et Neo-

Westmonasteriensem in Columbia Britannica existentes seiungimus respective, alteram e provincia ecclesiastica Oregonopolitana Statuum Foederatorum Americae Borealis, alteram e provincia ecclesiastica Sancti Bonifacii, atque ex iis novam ecclesiasticam provinciam efformamus, adiecto Vicariatu Apostolico de Mackenzie. Sedem autem Metropolitanae huius novae provinciae, cui Vancuveriensis nomen facimus, in urbe *Victoria* constituimus Dioecesis ipsius Vancuveriensis, quam ad Archiepiscopalem dignitatem provehimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat, et spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XIX Iunii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

A. CARD. MACCHI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS
ARCHIDIOECESIS OREGONOPOLITANA DIVIDITVR
ET NOVA DIOECESIS BEKERIENSIS
IN FOEDERATIS STATIBVS AMERICAE SEPTENTRIONALIS
ERIGITVR

—

LEO PP. XIII

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Supremi apostolatus munus Nobis commissum ab Alto postulat, ut Ecclesiarum omnium regimini consulamus, eaque mature praestemus, quae rei sacrae procurationi aeternaeque fidelium saluti bene, prospere, feliciterque eveniant. Haec animo repetentes, cum Venerabiles Fratres Archiepiscopus et Episcopi provinciae ecclesiasticae Oregonopolitanae in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis enixe a Nobis postulaverint, ut ad incrementum religionis et maius bonum animarum nova Dioecesis erigeretur in illis partibus per dismembrationem nimis amplae Archidioecesis Oregonopolitanae, Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, votis huiusmodi annuendum existimavimus.

Quae cum ita sint, perpensis sedulo studio rerum adiunctis, nec non attenta commendatione Venerabilis Fratris Diomedis Falconio Delegati Apostolici in praefata regione, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, ex Archidioecesi Oregonopolitana distrahimus sexdecim Comitatus, nempe Baker, Crook, Gilliam, Grant, Harney, Klamath, Lake, Malheur, Morrow, Sherman, Umatilla, Union, Wallowa, Wasco, Wheeler, Stockman, atque ex his novam Dioecesim cum Episcopali residentia in Baker City, a qua ipsa Bekeriensis nomen habebit, et cum Cathedratico discreto arbitrio Episcopi pro sua mensa Episcopali imponendo erigimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XIX Iunii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

A. CARD. MACCHI

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO DIE XXII IVNII ANNO MDCCCCIII
AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBVS VATICANIS

—

VENERABILES FRATRES

Nobis quidem apprime gratum, quod vos in huius dignitate loci revisere frequentes hodie licet. Utinam grata ad audiendum eloqui omnia pari modo liceret. — Postremi spatium anni haud sane vacuum solatio fuit. Mitescere quippe sollicitudines, recrearique animus non sine caussa solet, si quando in conspectu sint fidei pietatisque christianae testimonia non dubia; qualia profecto per hos superiores menses videmur in tot hominum millibus perspexisse, qui honorem habere Pontifici maximo tanta cum significatione reverentiae tantoque consensu certavere. Iucunda memoratu ista sunt atque opportuna spei: verum non estis ignari quam multiplex curarum aliunde materies. Quae saepe alias de conditione aspera catholicae rei per occasionem diximus, ea nunc iterari apud vos, tametsi nimium adhuc congruentia temporibus, nihil attinet. Unum silere non possumus, cuius quidem cogitatione sicut Nos incredibiliter angimur, ita christianos hoc dignos nomine peni-

tus commoveri singulos necesse sit: infensos dicimus christianae gentium humanitati spiritus, quos per venas civitatum serpere quotidieque manare latius haec videt aetas. Sapientiae disciplinaeque, a Iesu Christo redemptore mortalibus traditae, fastidium quoddam vecors et contumax in vitam hominum apparet invasisse, non sine meditato regressu ad ingenium atque instituta miserorum ethnicorum. Talem animorum habitum non ambigue prae se ferunt mores plurimorum, itemque leges, publice instituta, philosophia, artes ingenuae, ipsaemet non raro ad sacrilegum proiectae scelus humaniores litterae. Hinc, si modo circumspicias, velut pactam destinatamque passim dixeris institutorum catholicorum cladem: ita multi sunt, qui adversus ea et privatim et publice, vel per occultum et in speciem lenius, vel per apertam vim et sine modo grassantur. Refugit mens introspicere, quo denique ista sint, nî Deus iuvet, evasura consilia. Quid enim boni, quid spei relinquitur iis, qui parta per Iesum Christum beneficia sponte repudiarint? Isthaec quidem eripere usquequaque et funditus humano generi beneficia non magis homines possunt, quam decreta frustrari voluntatemque omnipotentis Dei: at vero per superbiam et pervicaciam utique possunt aditum ianuamque magnis iacturis patefacere, quarum caussâ multitudo ingens de sempiterna salute periclitetur. His late incumbentibus malis, si voluntas est peiora praevertere, perfugium praesidiumque in benignitate divina quaeratur. Ab ipso potissimum Iesu Christo contendere debemus, ut opus in terris

suum, hoc est redemptionis benefacta, custodire tuerique in perpetuum velit, nec diripi hereditatem suam ulla ex parte patiatur. Communis omnium caussa agitur: omnes propterea, quotquot ubique numerantur, qui fidem avitam diligunt et salvi esse volunt, ad preces humiles et supplices excitandi sunt. Nos vero, ne quid praetermittamus quod conducibile saluti videatur, dare publice litteras in eam rem, quae dicta est, constituimus: proximeque dabimus, spe praecipua in eo reposita, cuius numini parent omnia.

Referre ad vos de negotio debemus, quod sane ut expediatur hodierno die, Ecclesia Antiochena Graecorum Melchitarum requirit. Hanc in viduitate reliquerat Patriarcha suus, venerabilis frater b. m. Petrus Geraigiry, superiore anno morte sublatus. Quod igitur facto opus erat, catholici eadem natione Episcopi, ut de successore decernerent, in Synodum more institutoque veteri convenere. In aedibus Seminarii de Ain-Traz Synodus habita. Die autem vicesimo octavo Iunii anno MDCCCCII, consentientibus omnium suffragiis et acclamatione, in demortui locum dixere Patriarcham venerabilem fratrem Cyrillum Geha Archiepiscopum Aleppensem, Vicarium apostolicum Patriarchalem. Mox Episcopi suffragatores supplicandum Nobis curavere, ut electum Patriarcham rite confirmare sacrique honore Pallii afficere placeret. Eadem electus suppliciter rogavit, facta, ut assolet, catholicae fidei professione. Rem totam ad cognoscendum, sententiamque dicendam, delegavimus ad sacram Congregationem christiano

nomini propagando, negotiis ritus orientalis praepositam, quae, caussâ probe perpensa, postulatis annuendum censuit. — Venerabilem fratrem Cyrillum Geha ornamentis animi praeditum esse constat non paucis nec vulgaribus. Varia ille excultus doctrina, integritate vitae morumque suavitate praestans, Episcoporum collegarum suorum opinione maxime floret. Idem in archiepiscopatu Aleppensi gerendo virtutem ac prudentiam suam probavit: ideoque explorata spes est, futurum ut altiore etiam in gradu locatus communem expectationem digne expleat. Has ob caussas, de sententia sacrae Congregationis supra dictae, eumdem venerabilem fratrem in Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum confirmandum, eique Pallium de corpore beati Petri sumptum conferendum iudicavimus. Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus fratribus Episcopis Graeco-Melchitis factam de persona venerabilis fratris Cyrilli Geha, eumque a vinculo absolutum, quo Ecclesiae Aleppensi adstrictus tenebatur, praeficimus in Patriarcham Ecclesiae Antiochenae Graecorum Melchitarum, prout in decreto et schedulis Consistorialibus exprimetur: contrariis non obstantibus quibuscumque. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Ceterum S. R. E. Cardinales creare ac renuntiare egregios viros septem decrevimus, quos sua quemque virtus et variorum sapiens administratio munerum dignos

plane, qui in amplissimum Collegium vestrum cooptarentur, probavere. Ii autem sunt:

Carolvs Nocella, Patriarcha Constantinopolitanus, sacrae Congregationis Consistorialis Secretarius:

Beniaminvs Cavicchioni, Archiepiscopus tit. Nazianzenus, sacrae Congregationis Concilii Secretarius:

Andreas Aivti, Archiepiscopus tit. Tamiathensis, Nuntius Apostolicus in Lusitania:

Emigdivs Taliani, Archiepiscopus tit. Sebastensis, Nuntius Apostolicus in Imperio Austro-Hungarico:

Sebastianvs Herrero y Espinosa de los Monteros, Archiepiscopus Valentinus:

Ioannes Katschthaler, Archiepiscopus Salisburgensis:

Vbertvs Antonivs Fischer, Archiepiscopus Coloniensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, creamus et renuntiamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Carolvm Nocella
Beniaminvm Cavicchioni

Andream Aivti
Emygdivm Taliani
Sebastianvm Herrero y Espinosa de los Monteros
Ioannem Katschthaler
Vbertvm Antonivm Fischer

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis, necessariis et opportunis.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCCIII

I.

DIE XXIV IANVARII

AD PATRICIOS NOBILITATIS VRBANAE

Ci arreca particolare letizia il rivedere ogni anno innanzi a Noi raccolte le famiglie del Patriziato e della Nobiltà romana, e l'udire da lei, signor Principe, così degnamente interpretati i sensi della loro incrollabile devozione alla Sede Apostolica.

Ma le sue parole ci portano anche gli augurî e le felicitazioni pel Nostro Giubileo Pontificale; e queste Ci sono accettissime nel conserto unanime di voti che per Noi si innalzano a Dio, cui unicamente ascriviamo sì lieto e fausto avvenimento. — Ah sì; in una età di tanti sociali contrasti è pur consolante vedere nella grande famiglia cattolica sì bella gara e armonia di pietà e di amore, onde da tutte le parti i fedeli di ogni grado e condizione si stringono al Sommo Pontefice, e ne dividono i dolori ed i gaudî, riconoscendo in Lui il comune padre e maestro delle anime loro.

E invero, figli diletti, i Romani Pontefici furono sempre del pari solleciti sì di tutelare e migliorare le sorti degli umili, e sì di sostenere e aumentare il decoro delle classi elevate. Poichè eglino sono i continuatori della missione di Gesù Cristo, non solo nell'ordine religioso, ma nel sociale ancora. E Gesù Cristo, se volle trascorrere la vita privata nell'oscurità di un ignobile abituro, passando per il figlio d'un fabbro, e se nella vita pubblica amò farsela tanto col popolo, beneficandolo in ogni maniera, volle però nascere da regia prosapia, scegliendo per Madre Maria e per Padre putativo Giuseppe, eletti rampolli della stirpe davidica; e ieri, giorno sacro al loro sposalizio, potemmo ripetere colla Chiesa le belle parole: *Regali ex progenie Maria exorta refulget.* Quindi è che la Chiesa, nel predicare agli uomini l'universal figliuolanza dal medesimo padre celeste, riconosce altresì provvidenziale all'umano consorzio la distinzione dei ceti; perciò ella viene inculcando che solo nel rispetto reciproco dei diritti e doveri e nella mutua carità è riposto il segreto del giusto equilibrio, dell'onesto benessere, della vera pace e floridezza dei popoli.

Così Noi pure, deplorando le odierne agitazioni che turbano la civil convivenza, più volte rivolgemmo lo sguardo alle classi infime, più perfidamente insidiate dalle inique sètte, e offrimmo loro le cure materne della Chiesa. E più volte dichiarammo, che rimedio ai mali non sarà mai l'uguaglianza sovvertitrice degli ordini sociali, ma quella fratellanza invece, che, senza menomare le dignità di grado, unisce i cuori di tutti in un medesimo vincolo di amore cristiano.

Ora voi, figli diletti, che dagli avi riceveste in retaggio con la nobiltà del sangue il più illimitato ossequio agli insegnamenti della Chiesa e alle direzioni del suo Capo, voi sì, farete opera di veramente utile civiltà e altrettanto decoro al casato, se con tutti i mezzi che vi porge l'autorità, la coltura, il censo, e più che mai con l'efficacia di virtuosi esempi, asseconderete le Nostre solleci-

tudini per salvare le classi popolari, riconducendole ai principî e alla pratica della dottrina cattolica.

Possa l'anno iniziato vedere avverati i Nostri voti! Intanto, ricambiandovi i più lieti augurî, con paterno affetto impartiamo a tutti l'Apostolica benedizione.

II.

DIE XX FEBRVARII

QVA EXPLETVS EST ANNVS XXV

AB INITO PONTIFICATV

Quod haec apostolici muneris longinquitas uno post beatum Petrum exemplo Nobis contigit, sane nil tale meritis, divinae bonitatis memorabile ac singulare beneficium Nobiscum agnoscite. Quandoquidem, si itinera flexusque naturae usitati spectentur, quota spes erat ut Nobis inter extrema senectutis hodiernus illucesceret dies? Atque illius summi Principis atque omnia moderantis Dei in hoc etiam providentia apparet, quod auspicato contigit ut per occasionem privati eventus maiorem flammam pietatis multi ubique gentium conciperent. Quippe multitudo ingens gratulantium Nobis et fausta comprecantium hoc tempore, nequaquam Nos privatim, sed personam, quae geritur a Nobis, contemplantur animo et colunt. Id ipsa hodie testatur praesentia vestra: nam si convenire tam frequentes in hunc locum obsequii caussâ placuit, quid magis pepulit animum, quam imago Petri? Immo vero haec ipsa munera, communis populorum pietatis non vulgare testimonium, Corona tergemina, Claves mysticae, nihil nisi vim ac maiestatem romani Pontificatus loquuntur. Nec absimilem significationem habet percussum, memoriae caussâ, numisma insigne, et quidquid collatum undique ad opera templi Lateranensis fuit: voluntas enim honorandi Pontificis impulit ad liberalitatem. His ex rebus, propter id maxime quod in honorem vertunt Domini nostri Dei, tempestivum solatium inter amara curarum percipimus. Amanter ergo, quotquot heic adestis, complectimur, vos in primis, dilecti filii,

agendae magnificentius celebritatis auctores et principes. Singulare studium vestrum curasque hac de caussa ultro susceptas grato animo prosecuturi sumus et memori. Haec vero a Nobis tamquam mandata novissima accipite mentibusque insculpite universi, salutem non nisi in Ecclesia, instrumentum salutis praevalidum ac perpetuum in Pontificatu romano Dei iussu esse quaerendum.

INDEX

MDCCCCII

Epistola « *Quae novo* » die 10 Ianuarii ad Archiepiscopum Bituricensem. — De litteris officii plenis, ab ipso paulo ante datis, grates agit Pontifex. — Animorum rerumque perturbationem in Gallia vehementer dolet. — Quae catholicorum, quae praesertim scriptorum ephemeridum ad suadendam fovendamque concordiam officia, paucis complectitur. — Dei misercntis opem enixe efflagitat . . . . . Pag. 1

Epistola « *Sacrarum disciplinarum* » die 11 Ianuarii ad Rectorem et Doctores decuriales sacrarum disciplinarum apud Institutum catholicum Tolosanum. — Annum quintum et vicesimum a Lyceo magno instaurato proxime celebraturis, maiorem in modum ipsis gratulatur, hortaturque ut coeptis alacres insistant atque ad uberiores quotidie fructus omni studio contendant . . . . . » 3

Litterae Apostolicae « *Quae catholico nomini* » die 15 Ianuarii; quibus nova dioecesis Sioupolitana in civitatibus foederatis Americae Septentrionalis erigitur . . . . . » 5

Instructio « *Nessuno ignora* » S. Consilii Negot. Eccl. Extraord. praepositi, die 27 Ianuarii, de actione populari christiana vel democratico-christiana in Italia. . . . . » 8

Epistola « *Nobilissimi* » die 29 Ianuarii ad Dominicum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Svampa, Archiepiscopum Bononien-

sem, et Collegii Bononiensis theologiae tradendae Archicancellarium. — Pergratas Sibi accidisse scribit amantissimas litteras ab ipso et Collegii doctoribus communiter datas. — Communia eorumdem in sacrarum disciplinarum bonum studia peculiari laude prosequitur . . . . . Pag. 29

Epistola « *Perampla usi* » die 10 Februarii ad Ioannem Baptistam Ceschi a Sancta Cruce Magnum Ordinis Hierosolymitani Magistrum. — Paternae gratulationi, qua ipsum ex animo prosequitur ob expletum annum magisterii tricesimum, eximiae addit praeconia laudis ob spectata eiusdem in Ecclesiam atque in Ordinem Hierosolymitanum merita . . . . . » 31

Litterae Apostolicae « *Supremum catholicam Ecclesiam regendi* » die 20 Februarii; quibus nova dioecesis de Piauhy in Brasiliana Republica erigitur . . . . . » 33

Decretum « *Apostolici ministerii munus* » S. Congr. Consist. die 24 Februarii; quo episcopalis sedes Medellensis in Republica Columbiana ad dignitatem et honorem Ecclesiae Metropolitanae evehitur . . . . . » 44

Epistola « *Quod eruditorum hominum studio* » die 11 Martii ad Ludovicum Pastor. — Alacrem doctamque ipsius solertiam in Romanorum Pontificum gestis pro veritate enarrandis et vindicandis collaudat, et primum eius operis volumen, quartis curis editum, libentissime Sese accepisse testatur . . . » 50

Epistola Apostolica « *Annum ingressi sumus* » die 19 Martii ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos orbis catholici. — Gratus Deo quod vicesimum quintum Pontificatus annum inierit, Episcoporum cum Apostolica Sede coniunctionem denuo testatam laudat, his calamitosis temporibus admodum necessariam. — De circumfusis Ecclesiae incommodis deque opportunis rationibus medendi, quae pluries ex occasione monuisset, eos velut extremum allocuturus, strictim

revocanda censet. — Ecclesiam a primordiis ad hanc aetatem multiplici oppugnationis genere continenter vexatam ostendit. — Acerbius quod cum ea nunc geritur bellum, unde ortum, quam late pateat, quam sit cum pernicie ipsius civitatis coniunctum. — Quibus praesidiis ad sua prohibenda damna minus idoneis utatur respublica. — Quanti intersit publice, incolumia esse Ecclesiae iura. — Conficta in ipsam crimina refellit; horum auctorem itemque ceterorum maleficiorum, unde Ecclesia in praesens laborat, sectam Massonum agnoscit. — Indicia tamen rerum meliorum, Dei beneficio, non deesse gaudet. — Quid amplius sit a clericorum laicorumque industria expectandum. — Omnes denique ad arctiorem cum Episcopis et Apostolica Sede necessitudinem hortatur . . . . . Pag. 52

Epistola « *Multiplici paratum industria* » die 3 Aprilis ad Archiepiscopum Barensem. — De altero catholicorum Apuliae coetu, Barii proxime cogendo, magnopere laetatur, uberesque ex eo fructus sperat . . . . . » 81

Motu Proprio « *Ad Pastoralem Romani Pontificis sollicitudinem* » die 5 Aprilis; quo ab Officiis Notariorum Vicarii Urbis atque eorumdem titularibus facultas omnis ac potestas exarandi acta quaelibet ad Vicariatum Urbis spectantia, sive matrimonium respiciant, sive causas Beatificationis aut Canonizationis Servorum Dei, sive sacras Clericorum ordinationes, sive quaevis alia ecclesiastica negotia, penitus revocatur ac perpetuo adimitur; et certum propriumque Officium ad eiusmodi expedienda negotia, quod constet ex Cancellario, Vice-Cancellario ac duobus scriptoribus, omnibus ex clero, in Aedibus Secretariae Vicariatus Urbis constituitur . . . . . » 83

Epistola « *Nos vero delectati sumus* » die 10 Aprilis ad Alumnos Seminarii Orientalis Berytensis. — De amantissima epistola ab ipsis communiter data gratum profitetur animum; eosdem-

que vehementer hortatur ut in optimis propositis perseverent . . . . . Pag. 90

Epistola « *In amplissimo Pontificum Romanorum ordine* » die 15 Aprilis ad Iacobum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Gibbons, Archiepiscopum Baltimorensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Foederatarum Americae civitatum. — Amantissimae gratulationis officio ab ipsis praestito ob feliciter initum vicesimum quintum summi Pontificatus annum, summopere Sese delectatum scribit. — Praeclara rei catholicae apud ipsos incrementa commemorat, eaque etsi Dei numini tribuenda primum, eorumdem etiam navitati atque industriae adscribenda edicit. — Tum ipsis, tum catholicis omnibus Foederatarum Americae civitatum, peculiarem benevolentiam Suam prolixe testatur . . . . . » 92

Epistola « *Adventui in Urbem* » die 16 Aprilis ad Petrum Duval, Archiepiscopum tit. Petraeum, Delegatum Apostolicum in Syria. — De sollemnibus, Iubilaei Pontificalis caussâ, apud Syros habitis non uno nomine laetatur, deque humanissimis ipsorum officiis et petriana stipe oblata grates agit. . . » 96

Litterae Circulares « *Ad fovendum in christiano populo* » SS. Rituum Congr. die 18 Aprilis; quibus mandato Pontificis ea confirmantur, quae de provehendo cultu Spiritus Sancti per litteras encyclicas die IX Maii MDCCCLXXXXVII Pontifex ipse constituerat . . . . . » 98

Decretum « *Cum Ssñi Domini* » S. Congr. Consist. die 25 Aprilis; de nova limitum descriptione inter dioeceses Mariannensem et de Pouso Alegre in Brasiliana Republica . . . . . » 101

Epistola « *Quod votis* » die 30 Aprilis ad Archiepiscopos et Episcopos Austriae. — Pergratum Sibi scribit quod ab ipsis nunciatum est de catholica studiorum Universitate proxime constituenda. — Fidelium in id studia generosamque liberalitatem

opportune exacuit. — Ubi primum erunt omnia instructa ac parata, rem Sibi vult patefieri per sacram studiis regundis Congregationem, cui munus demandatum est cuncta rite in hoc genere ad Sacros Canones constituendi . . . . Pag. 104

Decretum « *Perpensis temporum adiunctis* » S. Congr. Episcop. et Regul. die 3 Maii; de votis simplicibus a monialibus votis solemnibus praemittendis. . . . . » 106

Epistola « *Bavariae episcopos* » die 5 Maii ad Archiepiscopum Monacensem ceterosque Bavariae Episcopos. — Peraccepta Sibi advenisse testatur gratulationis officia paulo ante ab ipsis exhibita. — Episcopalem eorumdem sollicitudinem, devinctissimamque erga Apostolicam Sedem voluntatem peculiari exornat laude . . . . . » 113

Epistola Encyclica « *Mirae caritatis* » die 28 Maii; de Sanctissima Eucharistia. — Necessitatibus horum temporum permotus, mirificam ad eas allevandas virtutem, quae inest in Sanctissima Eucharistia, commendare aggreditur. — Aeternae vitae ubertatem in homines ex Eucharistia influere: quam male consulatur reipublicae, eiusmodi contemptâ vita. — Nulla re alia tam dignitatem humanam augeri, quam Eucharistia. — De maximis ab ipsa incrementis virtutum omnium: praesertim quantopere valeat ad vigorem fidei redintegrandum, ad spem bonorum immortalium roborandam, ad fervorem intendendum caritatis tum in Deum, tum mutuae inter homines. Hac frigescente nunc caritate, infensos invicem ordines civium: germanam autem fraternitatem aequalitatemque socialem Eucharistia foveri maxime. — Eucharistiae fructus in communione sanctorum. — Eucharistiam esse christianae vitae centrum, atque Ecclesiae velut animam. — Multiplicem Eucharistici Sacrificii virtutem accommodate ad tempora persequitur. — Episcopos ad extremum hortatur, tanti Sacramenti cultum, frequentioremque nominatim ipsius usum sedulo promoveant . . . . . » 115

Epistola « *Et gratum sane et iucundum* » die 5 Iunii ad Archiepiscopos et Episcopos Hispaniae. — Amoris et obsequii significationes, per litteras communiter datas, ab iisdem paulo ante prolatas solatio Sibi atque oblectationi fuisse testatur. — De rei catholicae apud ipsos statu vehementer sollicitus, eos omnes hortatur ut impiorum hominum conatibus maiori qua possunt virium voluntatumque contentione obsistant. — Ad conferenda inter se consilia in episcopales coetus saepe frequentesque conveniant: lectissimi percipientur, Deo iuvante, fructus . . . . . Pag. 137

Epistola « *Libenter sane* » die 7 Iunii ad Archiepiscopum Quebecensem, Magnum Cancellarium Universitatis studiorum Lavallianae. — Valde gaudet quinquagenariam memoriam conditae Universitatis illustribus laetitiae significationibus proxime celebratum iri. — Peculiare Suum in ipsam studium commemorat; simulque Episcopos canadenses et Lycei magni moderatores a communi sollertia collaudat, qua constanter curavere ut in Lavalliano Instituto tum litterarum et artium elegantia floreret, tum graviorum disciplinarum sana praeceptio. — Minime dubitat quin pariter elaboraturi sint in posterum, atque adhuc fecere. — Universitati ipsi laetiora in dies incrementa adprecatur. . . . . » 140

Allocutio « *Volvitur Nobis annus* » habita in Consistorio die 9 Iunii. — De vicesimo quinto summi Pontificatus anno in summa senectute feliciter inito gratiam providentissimo auctori Deo eo maiorem habendam edicit, quod eventum privatae rei voluit esse cum honore nominis sui aliqua ratione coniunctum. — Gratulantium et consalutantium effusa undique studia commemorat. — Inter haec memoratu iucunda urgere aliunde, idque e proximo, subdit, rerum imaginem molestissimarum. — In ipsa catholici nominis sede principe cernere est ad perniciem catholici nominis grassantes impune teterrimas cupiditates; pravarum haeresum liberiora contagia; concionatorum popularium adversus augustissima dogmata licentiam solutiorem; ad ludos

scenicos, in scholis, per compita, per vias, parata licentius pietati populari discrimina, iniuriasque rerum sanctissimarum inultas. — Nec vigilantia hoc tempore, nec fortitudo ulla potest esse tanta, quin oporteat pro magnitudine periculi adhibere maiorem. — Plane confidit in re tanti momenti operam studiumque tum S. R. E. Cardinalium tum Cleri urbani universi numquam defuturum . . . . . Pag. 143

Epistola « *Mandata atque expressa* » die 17 Iunii ad Dominicum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Svampa, Archiepiscopum Bononiensem, ceterosque Episcopos Aemiliae regionis. — Sese magnopere delectatum scribit obsequentissimis pietatis et amoris significationibus communi epistola Sibi ipsi exhibitis. — Valde etiam gratum, quod late propagandis Epistolae Encyclicae paulo ante datae de Sanctissima Eucharistia documentis studium industriamque suam polliciti sint . . . . . » 147

Epistola « *Fra i luoghi di missione* » die 14 Iulii ad Miecislaum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ledócowski, Praefectum S. Consilii de Propaganda Fide. — Curas a Se collatas rei catholicae in Graecia provehendae initio commemorat: tum de Seminario Athenis constituendo, decernit debere ipsum iurisdictioni sacri eiusdem Consilii de Propaganda Fide manere perpetuo obnoxium. — Ingentem pecuniae summam, Seminario ipsi dotando, generosa liberalitate confert . . . . . » 149

Epistola « *Qui Augusti Sacramenti cultum* » die 14 Iulii ad Petrum Lambertum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Goossens, Archiepiscopum Mechliniensem. — Qui decimoquarto Eucharistico conventui in urbe Namurcensi proxime habendo vice et auctoritate Sua praesit, Legatum Suum a latere ipsum deligit . . . . . » 152

Epistola « *Duplicem abs te* » die 14 Iulii ad Episcopum Namurcensem. De Eucharistico conventu mense Septembri Namurci celebrando non uno nomine laetatur. — Belgarum genti illud

singulari laudi tribuendum quod amore et cultu Sacramenti augusti splendide praeluceat. — Lectissimos conventui ipsi adprecatur fructus . . . . . Pag. 154

Epistola « *Coniunctionem vestram* » die 16 Iulii ad Patriarcham Antiochensium Maronitarum ceterosque Archiepiscopos Maronitas. — De litteris, officii plenis, ab ipsis per sollemnia Iubilaei Pontificalis datis gratum profitetur animum. — Tum orientalium populorum expectatione Sese vehementer teneri edicit, si tandem dissidentes velint ad ovile Christi diverso ex itinere reverti. — Precibus apud benignissimum Deum vehementer instandum . . . . . » 156

Litterae Apostolicae « *Non mediocri sane* » die 30 Iulii; de Ordine Cisterciensium Reformatorum seu Strictioris Observantiae. » 158

Litterae Apostolicae « *Ad sinum complexumque* » die 31 Iulii ad Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum. — Quod homines ex Nestorianis bene multi, opera praesertim diligentiaque sodalium Dominicianorum, fidei veritate comperta, catholicam professionem inierint, summopere laetatur. — Necessarias ipsi atque opportunas facultates tribuit ut duos episcopos nestorianos nonnullosque primarios viros, in Ecclesiae catholicae gremium, quod suppliciter enixeque rogaverant, recipere, atque eosdem Episcopos, aliosque ecclesiasticos homines a quacumque etiam irregularitate dispensando relevare possit . . » 164

Litterae Apostolicae « *Quae rei sacrae* » die 4 Augusti; quibus nova dioecesis Leadensis in civitatibus foederatis Americae Septentrionalis erigitur . . . . . » 167

Epistola « *Exploratum* » die 9 Augusti ad Iosephum Giessler, Praesidem coetus undequinquagesimo Germanorum catholicorum congressui parando. — Ex eiusmodi conventu haud minores quam ex anteatis perceptum iri, in rei catholicae emolumentum, fructus magnopere confidit . . . . . » 170

Epistola « *Quo tempore* » die 15 Augusti ad Archiepiscopos et Episcopos Galliae. — De eximiis amoris et obsequii significationibus, per Iubilaei Pontificalis sollemnia, ab ipsis communi epistola exhibitis, pergratum profitetur animum. — Tum de studio avitae fidei in Gallia tuendae, ac de praeclaro concordiae exemplo quo catholico gregi praelucent, magnopere gratulatur. Inter prementes aerumnas plurimum eorum virtuti confidit. — Venerabilis Ioannae Arcensis opem, enixe ab eisdem imploratam, nobilissimae Gallorum genti benigne adfuturam sperat. . . . . PAG. 172

Epistola « *Delectati summopere sumus* » die 22 Augusti ad Archiepiscopum Limanum ceterosque Peruviae Episcopos. — De amantissimis litteris ob sollemnia Iubilaei Pontificalis ab ipsis communiter datis memorem profitetur animum. — Tum iisdem gratulatur de iis quae ad ecclesiasticam disciplinam restituendam atque ad religionis amplificanda commoda provisa per ipsos et constituta peropportune sunt; nihilque dubitat quin ad exequenda proposita sese alacres sint praestituri . . » 177

Litterae Apostolicae « *Fidelium preces* » die 3 Septembris; quibus territorium Punae de Acatama in Republica Argentina iurisdictioni subiicitur Episcopi Saltensis. . . . . » 179

Epistola « *Ex tuis litteris* » die 9 Septembris ad Arsenium Pellegrini, Abbatem Monasterii ad Cryptam Ferratam. — Consilium approbat solemnibus laetitiis celebrandi nonum, quod proxime conficietur, saeculum ex quo sanctus Nilus cum aliis graecis monachis prima Coenobii ad Cryptam Ferratam fundamenta posuit. — Decet sane filios patrum gloriam recolere, propositisque honestissimis eorum exemplis posterorum animos ad virtutem erigere. — Praeclara ac vetera Coenobii Tusculani ornamenta et religiosarum virtutum laudes memorat. — Monachos peramanter hortatur ut pergant alacres de litteris, de bonis artibus, de catholica unitate optime mereri . . » 186

Litterae Apostolicae « *Romani Pontifices* » die 15 Septembris; quibus Praefectura Apostolica Zanguebariae meridionalis in Africa orientali in Vicariatum Apostolicum erigitur. . . . Pag. 189

Litterae Apostolicae « *Quae mari sinico* » die 17 Septembris; quibus pro nova rerum publicarum in Insulis Philippinis conditione, plura constituuntur rei catholicae tutandae ac provehendae. » 192

Decretum « *Postremis hisce temporibus* » S. Congr. Concilii die 17 Septembris; de Chorali Disciplina in Urbe . . . . . » 208

Decretum « *Ex decreto* » S. Congr. Consist. die 23 Septembris; quo Monasterium S. Silvestri de Nonantula a provincia ecclesiastica Ravennatensi seiungitur et provinciae ecclesiasticae Mutinensi in perpetuum unitur. . . . . » 213

Commonitio « *È noto a tutti* » Emi Card. Vicarii die 23 Septembris, de speciali mandato Pontificis. — Nonnullorum agendi ratio reprobatur circa ea quae actionem popularem christianam, vel democratiam christianam in Italia spectant. — Impartita ab Apostolica Sede hac super re documenta integre custodienda fideliterque servanda. — Catholicorum hominum, maximeque Episcoporum sollicitudo ac studium in eo constanter evigilent. . . . . » 216

Epistola « *Significati quotannis* » die 25 Septembris ad Georgium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Kopp, Episcopum Vratislaviensem, ceterosque Episcopos, qui Fuldensi coetui interfuerunt. — Communes ipsorum litteras haud mediocrem Sibi laetitiae caussam attulisse significat. — Episcopalem eorumdem sollertiam, devinctissimamque erga Apostolicam Sedem voluntatem, peculiari laude prosequitur. . . . . » 220

Epistola « *Habitus Moguntiae conventus* » die 4 Octobris ad Archiepiscopum Friburgensem, ceterosque Episcopos Provinciae

Renanae Superioris. — Annuos ipsorum coetus, uberesque ex his perceptos in rei catholicae incrementum fructus commemorat; tum gratum profitetur animum de observantiae atque amoris officiis ab iisdem exhibitis . . . . . Pag. 222

Epistola « *Accedentes Hungariae catholici* » die 6 Octobris ad Ioannem e Comitibus Zichy, Praesidem III Conventus catholici Budapestinensis. — De huiusmodi coetu, proxime habendo, valde sperat fore ut magnas ipse allaturus sit utilitates. — Foederatas sodalitates merita laude exornans, omnium studia ad maiora in dies commoda rei christianae comparanda, cohortando bene precando exacuit . . . . . » 224

Epistola « *Non mediocri Nos* » die 9 Octobris ad Episcopum Aurelianensem. — Magnopere Sibi probari scribit susceptum ab ipso et a clero Aurelianensi consilium celebrandi in honorem Felicis Dupanloup, decessoris eius, sollemnia ab ortu saecularia. — Praeclara demortui episcopi in Ecclesiam merita commemorat. — Spem sibi esse subdit, honorem eximio viro habitum fovere posse in clericis servandae confirmandaeque cum Petri Cathedra arctissimae coniunctionis voluntatem . . . . » 226

Epistola « *Quum in praecipuis* » die 20 Octobris ad Nicolaum Marini, Protonotarium Apostolicum ad instar Participantium. — Periodicam elucubrationem, eius curis editam, cui ab insigni Cardinali Bessarione perapte nomen inditum, peculiari laude exornat. — Sexto excedente anno ab opere inito, tum ipsi tum eruditis viris sociis eius, quos hactenus fecere progressus ex animo gratulatur, amplioresque deinceps facturos sperat. . . . . » 228

Epistola « *Quibus verbis* » die 26 Octobris ad Salvatorem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Casañas y Pagés, Episcopum Barcinonensem. — Pergrata sibi accidisse testatur praeclara amoris et obsequii testimonia ab ipso atque a Barcinonensis dioece-

sis fidelibus paulo ante exhibita. — Nonnulla pro temporum ratione opportune addit: tum plane confidit Hispaniae episcopos universumque clerum pro incolumitate fidei sanctissimae propugnare et contendere constanter perseveraturos. . PAG. 230

Litterae Apostolicae « *Vigilantiae studiique memores* » die 30 Octobris; quibus Consilium instituitur studiis Sacrae Scripturae provehendis . . . . . » 232

Epistola « *Quae ad Nos quotidie* » die 22 Novembris ad Leonem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Skrbensky, Archiepiscopum Pragensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopus Bohemiae et Moraviae. — De Bohemiae et Moraviae dioecesium statu, deque discessione complurium a catholicorum sacris Sese vehementer sollicitum tristitiaque affectum scribit. — Magnitudo periculi omnino postulat ut ipsi sententias invicem communicent, concordique iudicio quae praestanda quaeve cavenda provideant. — In primis curent ut contraria studia tollantur in quae homines sacri cleri apud ipsos scinduntur. — Strenue pro fidei tutela certantibus aderit propitius Deus . . . » 239

Motu Proprio « *Litteras ante annos duos* » die 25 Novembris; quo Consilium nonnullorum S. R. E. Cardinalium instituitur, Operi *Praeservationis Fidei* in Urbe moderando ac promovendo. » 241

Epistola Encyclica « *Fin dal principio del Nostro Pontificato* » die 8 Decembris ad Italiae Episcopos. — Quae praecipue praestari oporteat in clero instituendo dirigendoque, ut a periculis novorum temporum sit tutior. — Vitae cultum moresque clericorum a laicis multum ex ipsa vi ac natura christiani sacerdotii distare. — Quatenus tamen clero obsequendum sit temporibus, quidque sibi cavendum. — De sacris Seminariis praecipua rerum capita attingit, quae ad fingendos recte alumnos sacri ordinis pertinent. — Iidem sacerdotio initiati, quemadmodum adiuvandi deinceps sint. Nominatim qua ratione sacerdotes versari in populo debeant. — Consultent Episcopi,

de more coeuntes, quid sit opus facto, ut quae praescripta sunt, commodius efficiantur. — Apta cohortatione epistolam concludit . . . . . Pag. 246

Epistola « *Dum multa tristitia* » die 24 Decembris ad Archiepiscopum Quitensium, ceterosque Aequatoris Episcopos. — Latas paulo ante in Aequatoriana republica leges de matrimonio, quod vocant civili, ac de divortiis, pariterque quae in sacram Ecclesiae disciplinam, temerario ausu, patrata sunt, vehementer reprobat et damnat. — Episcopos ipsos hortatur ut constanter pergant neglecta et contempta Ecclesiae iura invicte defendere . . . . . » 260

Epistola « *Admiranda* » die 26 Decembris ad H. Debout, presbyterum. — Opus de rebus gestis Ioannae Arcensis, ab ipso in lucem editum, pergrate Se habuisse testatur, multamque ex ipso, in Galliae bonum, utilitatem consecuturam sperat . » 264

Epistola « *Portugalliae Episcoporum* » die 29 Decembris ad Iosephum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Neto, Patriarcham Lisbonensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Lusitaniae. — De communi epistola, gratulationis et officii plena, paulo ante ab ipsis data, grates agit: tum pro peculiari Suo in Lusitanam gentem studio, eosdem vehementer hortatur ut operam in dies alacriorem praestent rei catholicae actionique catholicorum amplificandae . . . . . » 266

Epistola « *Aureum numisma* » die 30 Decembris ad Carolum Luëger, Magistrum Civitatis Vindobonensis. — Oblatum, civitatis eiusdem decreto, numisma aureum, ea praecipue de causa pergratum Sibi accidisse scribit, quod eximiam civium ex omni ordine fidem atque obsequium erga Apostolicam Sedem mirifice testaretur . . . . . » 268

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCCII

I. - Die 19 Octobris ad Patriarcham Antiochensem Syrorum et legatos eiusdem cleri. . . . . Pag. 271

II. - Die 23 Decembris ad S. R. E. Cardinales, redeuntibus Dominicae Nativitatis sollemnibus . . . . . » 273

ADDENDA

Epistola « *Compertum habemus* » die 14 Februarii ad Archiepiscopos et Episcopos regionis Mexicanae. — Consilium ab iisdem susceptum novam aliquam condendi studiorum Universitatem pro adolescentibus Ecclesiae alumnis valde probat Pontifex. — Hoc vero propositum ut facilius opere perfici liceat, ad eos mittit Richardum Sanz de Samper, Domus Suae Pontificalis Antistitem, cum quo ipsi, tum de eiusmodi negotio tum de ceteris rebus ad catholici nominis incrementa in Mexicana regione spectantibus, libere ac fidenter agant . . . . » 277

Litterae Apostolicae « *Apostolica Sedes* » quibus Dioecesis Mixtecanensis in Mexicana republica erigitur; datae die XXV Aprilis MDCCCCII; expeditae mense Martio MDCCCCIII. Paulo post per Decr. S. C. Consist. haec ipsa Dioecesis Huajuapamensis a Leone nuncupata est . . . . . » 279

MDCCCCIII

Epistola « *Opinionem, quam habemus iamdiu* » die 3 Ianuarii ad Georgium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Kopp, Episcopum Vratislaviensem. — De praeclaris amoris et obsequii significationibus ab ipso paulo ante exhibitis grates agit Pontifex, eiusque pietati vicem referens, caelestium bonorum affluentiam ex animo precatur . . . . . Pag. 295

Epistola « *Officiosa oblatum humanitate* » die 3 Ianuarii ad Episcopum Nicoteriensem et Tropiensem. — Pergratum Sibi accidisse testatur opus, ab ipso editum, de regestis Romanorum Pontificum in Calabrae regionis ecclesias . . . . . » 297

Epistola « *Nunciatum iucunde* » die 9 Ianuarii ad Archiepiscopos et Episcopos Siciliae. — Panormum proxime conventuris, gratum profitetur animum ob obsequii officium amantissimis litteris ab ipsis exhibitum, uberesque ex communi eorumdem industria sollertiaque fructus sperat . . . . . » 299

Epistola « *Quam epistolam* » die 15 Ianuarii ad Franciscum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Richard, Archiepiscopum Parisiensem. — De litteris officii plenis et de oblato decretorum Synodalium libro grates agit, valdeque confidit fore ut quae sunt sapienti consilio constituta, et efficacitate et fructu compleantur . . . . . » 301

Epistola « *Initum a te* » die 15 Ianuarii ad Iosephum Vizzini presbyterum. — Consilium ab ipso susceptum edendae Sanctorum Patrum Bibliothecae ab opportunitate atque utilitate iterum collaudat, eiusque in id studia cohortando bene precando exacuit. . . . . » 303

Epistola « *Illata apud vos* » die 10 Februarii ad Fridericum Episcopum tit. Famagostanum et Ecclesiae Cathedralis Mediolanensis Archipresbyterum. — De impio eorum conventu qui integrum sibi vindicant a veritate aberrare, Mediolani paulo ante habito, graviter conqueritur. — Tum de epistola officii plena a Curionibus eiusdem civitatis communiter data, deque egregiis fidelium Mediolanensium erga Apostolicam Sedem obsequii atque amoris significationibus grates agit ex animo. Pag. 305

Litterae Apostolicae « *Admotae Nobis preces* » die 16 Februarii; quibus Archisodalitas a Corde Eucharistico Iesu ad S. Ioachimi de Urbe erigitur. . . . . » 307

Litterae Apostolicae « *Actum praeclare* » die 20 Februarii; quibus nonnulla de Hierarchia sacra et de ecclesiastica disciplina in Insula Cubana loco aptius et tempori decernuntur. . . » 311

Epistola « *Nostis vos quidem* » die 23 Februarii ad Antoninum Pagés, praesidem, ceterosque viros e supremo Consilio piae Societatis Sancti Vincentii a Paulo. — De laetis eiusdem Consociationis incrementis maiorem in modum gratulatur: laetiora in dies, Deo bene iuvante, adprecatur. . . . . » 322

Epistola « *Fra le più care memorie* » die 13 Martii ad Leopoldum II Regem Belgarum. — Initum ab ipso consilium extruendi in urbe principe eius regni aedem sacram sacratissimo Cordi Iesu dicandam singulari laude amantissime exornat . . . . » 324

Litterae Apostolicae « *Sacris aedibus* » die 17 Martii; quibus Sanctuarium Genestanum, a Beatissima Virgine Boni Consilii Matre nuncupatum, ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur . » 326

Epistola « *Quod Episcopi* » die 17 Aprilis ad Archiepiscopum Tarentinum. — Ipsi ceterisque eius regionis Episcopis proxime conventuris ut commissarum dioecesium utilitatibus communi sententia prospiciant, ex animo gratulatur: tum a Deo enixe petit ut pastoralibus eorumdem curis benigne obsecundet. » 329

Epistola « *Quos nuper* » die 22 Aprilis ad Cyriacum Mariam S. R. E. Presbyterum Cardinalem Sancha y Hervás, Archiepiscopum Toletanum. — De Episcoporum conventibus, Matriti proxime habitis, non uno nomine laetatur ; nihil enim Sibi magis curae esse scribit, quam ut catholici in Hispania viri arctissima inter se concordia cohaereant. — Optime coeptis secundissimos exitus intimo cordis affectu adprecatur . . . . . Pag. 331

Decretum « *Ex quo Beatissima Virgo Maria* » S. Rit. Congr. die 22 Aprilis ; quo Litaniis Lauretanis post praeconium *Mater admirabilis*, alterum *Mater boni consilii* adiicitur . . . » 334

Epistola « *Quod te* » die 28 Aprilis ad Pium Pucci, Canonicum Reg. Lateranensem. — Commentarium ab ipso aliisque proxime editum ad excitandam in Virginem Deiparam popularem pietatem, haud fructu vacuum sperat. — Erunt autem ipsi consecuti plurimum, si Mariale templum ad Cryptam Puteolanam, avita religione eximium, operibus novis ornatuque addito excolere licuerit . . . . . » 337

Epistola « *Cogendum* » die 12 Maii ad Michaëlem Rua, Moderatorem Generalem Sodalitatis Salesianae. — Conventui Salesianorum ex omni terrarum orbe, proxime habendo, uberem fructuum optimorum copiam ex animo adprecatur . . . » 339

Decretum « *Iosephus Sebastianus* » S. C. Consist. die 13 Maii, quo Decano Capituli Premisliensis Latinorum usus Pontificalium conceditur. . . . . » 341

Epistola « *Festus ille dies* » di 15 Maii ad Episcopum Monasteriensem. — Sese magnopere delectatum scribit eximiis obsequii pietatisque significationibus a Monasteriensibus fidelibus paulo ante exhibitis. . . . . » 343

Epistola « *Quod Iubilaei Pontificalis* » die 16 Maii ad Petrum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Respighi, Suum in Urbe

Vicarium. — Egregii coetus, qui ad celebritates Iubilaei pontificalis agendas coaluit, industriam sollertiamque collaudat; tum singulis ex eodem coetu benevolum et gratum profitetur animum . . . . . Pag. 345

Epistola « *Inter tot significationes* » die 23 Maii ad Liberum Baronem de Soden-Fraunhofen. — Praeclara pietatis testimonia a Monacensibus civibus certatim exhibita, periucunda Sibi obvenisse significat; amantissimisque eorum officiis vicem referens, propensam paternamque voluntatem Suam prolixe testatur. . . . . » 347

Epistola « *Da molte parti* » die 26 Maii ad S. R. E. Cardinales Vincentium Vannutelli, Marianum Rampolla del Tindaro, Dominicum Ferrata et Iosephum Calasanctium Vives y Tuto. — Quinquagesimo appetente anno a definitione dogmatica Immaculatae Deiparae Conceptionis, munus ipsis concredit ea communi consilio statuendi quae ad tanti eventus memoriam publicis christianae pietatis laetitiaeque significationibus celebrandam magis opportuna videantur. . . . . » 349

Epistola « *Communes litteras* » die 3 Iunii ad Andream S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ferrari, Archiepiscopum Mediolanensem. — De praeclara amoris et obsequii significatione ab ipso ceterisque Mediolanensis provinciae Episcopis paulo ante exhibita grates agit: tum ipsos vehementer hortatur ut strenue pergant Ecclesiae caussa elaborare. — Ea in primis pastorali eorumdem sollicitudini commendat quae superiori anno de sacrorum alumnis rite instituendis, datis in id encyclicis litteris, commendavit. . . . . » 351

Epistola « *Praeclarum publicae religionis* » die 10 Iunii ad Archiepiscopum Cameracensem. — De sollemnibus in Deiparae honorem Dunkerqui proxime habitis non uno nomine laetatur. » 353

Epistola « *Affecti suaviter* » die 15 Iunii ad Archiepiscopum Calaritanum. — Communem epistolam ab ipso ceterisque Calari-

tanae provinciae Episcopis proxime datam Sese libentissime accepisse scribit: tum egregios ab ipsis prolatos animorum sensus studiosamque, uti maxime tempus postulat, excolendi populi voluntatem peculiari exornat laude. . . . . Pag. 355

Litterae Apostolicae « *Cum ex Apostolico munere* » die 19 Iunii; quibus nova provincia ecclesiastica Vancuveriensis constituitur. . . . . » 357

Litterae Apostolicae « *Supremi Apostolatus munus* » die 19 Iunii; quibus Archidioecesis Oregonopolitana dividitur, et nova Dioecesis Bekeriensis in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis erigitur. . . . . » 359

Allocutio « *Nobis quidem* » habita in Consistorio die 22 Iunii. — De aspera ubique rei christianae conditione initio nonnulla attingit. — Tum electionem de more confirmat, Cyrilli Geha Archiepiscopi Aleppensis, in Patriarcham Ecclesiae Antiochenae Graecorum Melchitarum. — Demum in amplissimum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptat Carolum Nocella, Patriarcham Constantinopolitanum, S. Congr. Consistorialis Secretarium; Beniaminum Cavicchioni, Archiepiscopum tit. Nazianzenum, S. Congr. Concilii Secretarium; Andream Aiuti, Archiepiscopum tit. Tamiathensem, Nuntium Apostolicum in Lusitania; Emigdium Taliani, Archiepiscopum tit. Sebastensem, Nuntium Apostolicum in Imperio Austro-Hungarico; Sebastianum Herrero y Espinosa de los Monteros, Archiepiscopum Valentinum; Ioannem Katschthaler, Archiepiscopum Salisburgensem; Ubertum Antonium Fischer, Archiepiscopum Coloniensem . . . . . » 361

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCCIII

I. - Die 24 Ianuarii, ad Patricios Nobilitatis Urbanae. . Pag. 367

II. - Die 20 Februarii, qua expletus est annus xxv ab inito Pontificatu . . . . . » 370

HIC · FINIS · ACTORVM

LEONIS · XIII · P · M ·

QVI · ECCLESIAM · CATHOLICAM

NAVITER · PRAECLAREQVE · REXIT · AN · $\overline{\text{XXV}}$ · M · $\overline{\text{V}}$ ·

ET · SANCTE · QVIEVIT · IN · CHRISTO

DIE · $\overline{\text{XX}}$ · IVLII · AN · $\overline{\text{DMCCCCIII}}$ ·

AETATIS · SVAE · $\overline{\text{LXXXXIV}}$ ·

262.13
L 55-XIII
LEO XIII

16166

AUTHOR
Leonis XIII P.M. Acta XXII

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Already CMC	
	STORAGE - CBPL	

16166